THEOCRITI
IDYLLIIS OCTAVO ET NONO
CUR ABROGANDA SIT FIDES THEOCRITEA

THESIM

FACULTATI LITTERARUM UNIVERSITATIS PARISIENSIS

PROPONEBAT

CAROLUS KATTEIN

SILESIUS.

PARISIIS

APUD PICARDUM ET FILIUM BIBLIOPOLAS

VIA BONAPARTE 82

MDCCCCI.

DISPUTATIONES THEOCRITEAE.

DE CARMINIBUS VIII ET IX.

THEOCRITI

IDYLLIIS OCTAVO ET NONO

CUR ABROGANDA SIT FIDES THEOCRITEA

THESIM

FACULTATI LITTERARUM UNIVERSITATIS PARISIENSIS

PROPONEBAT

CAROLUS KATTEIN

SILESIUS.

PARISIIS

APUD PICARDUM ET FILIUM BIBLIOPOLAS

VIA BONAPARTE 82

MDCCCCI.

DISPUTATIONES THEOCRITEAE.

DE CARMINIBUS VIII ET IX.

PAULO DECHARME

VIRO DOCTISSIMO ET LIBERALISSIMO

D.

Praefatio.

Proximis superioribus annis libri nonnulli lingua Franco-Gallica scripti in lucem publicam editi sunt, qui ex partibus quibusdam ad quaestiones meas attinent. Quos cum confecta iam hac disputatione atque approbata cognoverim, neque in ipsam disceptationem adhibere potui neque prorsus silentio praeterire debui. Sic mihi relinquebatur, ut hac praefatione ad illa scripta recentia breviter attingerem. — Ac primo quidem loco commemoratione ac laude digni sunt illi de litteris Graecis libri qui a duobus fratribus doctissimis, Alfredo et Mauricio Croisetiis[1]) compositi sunt, opus laboriosum et perutile, monumentum ingenii, doctrinae, diligentiae praeclarissimum. Huius operis in tomo quinto Alfredus Croisetius, vir admirabilis humanitatis summisque honoribus rei publicae ornatus atque hoc lustro decanus Facultatis Litterarum in Sorbonna Parisiensi illustrissimus, cum alia tum de Theocrito eiusque carminibus scholam tanta rerum scientia atque elegantia explicavit, ut non sine delectatione fructuque eam partem legerim. In qua vir ille doctissimus de auctoritate Theocritea carminum quorundam breviter disputans in nono quidem idyllio partes accommodatas et interpolatas admittit[2]), sed octavum inter carmina integra poëtae numerare non dubitat.[3]) Videmus igitur

---

[1]) A et M. Croiset, Hist. de la Litt. Grecque, tom. V. Paris, 1899.

[2]) Cf. tom. V, p. 184[1]: «Nous admettons cependant des remaniements et des interpolations dans l'Idylle IX, où se trouve l'épilogue, cité plus haut.»

[3]) Cf. V, 184: «Les pièces apocryphes sont celles qui portent les numéros 19, 20, 21, 23 et 27. Quelques-uns rejettent encore les idylles 25 et 30 et en soupçonnent deux ou trois autres. Nous ne partageons pas ces scrupules etc.»

commentationibus vv. dd. superioribus Croisetium nondum adduci potuisse, ut a tradita de illis carminibus sententia recederet. — Prolixius alter vir doctus, Legrand,[1]) thesi amplissima de Theocrito conscripta eandem rem tractavit, qua in argumentatione idyllium IX totum esse reiciendum et de idyllio VIII partes has: vv. 63—70, 72—80 (v. 77 deleto), 53—56, 57—60 Theocrito concedendas, cetera tamen ei adimenda esse censet. — Recenti opera tertius vir doctus, natione Belga,[2]) in diiudicanda fide Theocritea idyllii octavi versatus et contra criticos multifariam de ea addubitantes ipsam defendere conatus totum fere carmen a Theocrito scriptum esse credit reiectis tamen novem versibus (28—32, 61—62, 92—93) atque opinatur in altero cantu strophas nonnullas excidisse. — Quibus iudiciis cognitis hoc negotium suscepisse me non paenitet ratum hanc quae sequitur dissertationem non modo non supervacaneam esse, id quod antea metueram, sed eo utiliorem ac fortasse etiam eo magis idoneam ad rem disceptandam et declarandam, quo minus nova aut certa argumenta in studiis illorum recentissimis allata video et quo magis meum iudicium meamque argumentandi rationem ab illorum differre intellexi. — Nihilo tamen secius operam dedi, ut observationes illorum, quantum fieri potuit, in adnotationibus verbis designarem. Itemque Cartaultii, viri doctissimi et professoris probatissimi, studia Vergiliana[3]) inspexisse me iuvat, priusquam manu mea scripta typis mandaverim, maximeque alteram libri partem quae est de rebus rusticis et pastoralibus (cf. p. 429 sqq.) Haec quoque et doctrina et utilitate praestantissima mihi digna videbantur quae respicerem. Denique nihil omisi nihilque neglexi, ut in quaestionibus meis res veras investigarem ac demonstrarem. Quod si fortasse non ubique mihi contigit, ne obliviscaris in rebus obscurissimis veritatem explorare arduum esse. Ceterum melius est fortiter conando semperque quaerendo, etsi non nunquam errantes veritatis luci paulatim appropinquare quam nimio erroris metu in silentio perseverantes nihil proficere.

---

[1]) Ph. E. Legrand, Étude sur Théocrite, Paris 1898 (Thèse).

[2]) E. Fairon, De l'authenticité de l'Idylle VIII du recueil de Théocrite, in „Revue de l'instr. publ. en Belgique", tom. XLIII. 1900. p. 237—244.

[3]) A. Cartault, Étude sur les Bucoliques de Virgile. Paris, 1897.

«Mieux vaut se tromper en cherchant hardiment la vérité que de se cacher dans un silence inutile.» Hoc vere et percommode olim dictum est a Ludovico Passy.[1]) Atque simile sapientiae praeceptum Theocritus ipse nobis dat illo proverbio probabili quod nunc secuturus sum: *πείρᾳ θῆν πάντα τελεῖται* (id. XV, 62).

[1]) Cf. Ecole de Chart. XX, 481.

Scripsi Quaritziae, in pago Silesiae,
Mense Julio an. MDCCCCI.

Carolus Kattein.

Τάχ᾽ ὥτερος ἄλλον ὀνασεῖ.
Theocr. VII, 36.

De duobus Theocriti carminibus octavo et nono accurate disputare mihi proposui, quoniam quamvis interpretes docti in iis explicandis elaboraverint, minime omnia quae respiciantur digna in disputationem vocata video neque ea quae ad hunc diem viri docti partim perverse partim probabilius sive de utroque carmine in universum sive de singulis eorum partibus locisque iudicantes statuerunt, satis examinata atque explorata esse mihi quidem persuasi. Sed multa quae possum praefari, neque ea inutilia, praetermittens iam aggrediar ad rem ipsam.

Caput I.

De carmine octavo.

Incipiamus ab idyllio octavo quod inscribitur *Βουκολιασταὶ Δάφνις καὶ Μενάλκας*, de quo tamen titulo apte postea (cf. cap. III) dicemus. Carmen autem ipsum exorditur ab his versibus (1—5)[1]:

Δάφνιδι τῷ χαρίεντι συνήντετο βουκολέοντι
μᾶλα νέμων, ὡς φαντί, κατ᾽ ὤρεα μακρὰ Μενάλκας.
ἄμφω τώγ᾽ ἤστην πυρροτρίχω, ἄμφω ἀνάβω,
ἄμφω συρίσδεν δεδαημένω, ἄμφω ἀείδεν.
πρᾶτος δ᾽ ὦν ποτὶ Δάφνιν ἰδὼν ἀγόρευε Μενάλκας.

Cui exordio similitudo quaedam est versuum conformatione cum sexti carminis prooemio, quod comparandi causa adscribamus:

Δαμοίτας χὠ Δάφνις ὁ βουκόλος εἰς ἕνα χῶρον
τὰν ἀγέλαν πόκ᾽ Ἄρατε συνάγαγον. ἦς δ᾽ ὁ μὲν αὐτῶν
πυρρός, ὁ δ᾽ ἡμιγένειος· ἐπὶ κράναν δέ τιν᾽ ἄμφω
ἑζόμενοι θέρεος μέσῳ ἄματι τοιάδ᾽ ἄειδον.
πρᾶτος δ᾽ ἄρξατο Δάφνις, ἐπεὶ καὶ πρᾶτος ἔρισδεν.

Utrumque enim prooemium non solum eundem ambitum habere, sed etiam cum altero conspirare sententiis verbisque vel iisdem fere vel similiter formatis ita, ut in utroque una eademque rerum condicio depingatur, quis est quin viderit?[2] Atque rerum condicionem agnoscimus hanc: duo pastores, qui nominantur Daphnis et Damoetas in sexto idyllio, in octavo

---

[1]) Ad scribendos versus Theocriteos ubique Ziegleri edit. III, Tubing. 1879, adhibui.

[2]) Carolus Brinker, de Theocriti vita carminibusque subditiciis, diss. Rostoch. 1884, p. 23 hanc rem obiter perstrinxit.

Daphnis et Menalcas, aliquando forte, ut videtur, cum gregibus suis in pascua conveniunt, qua occasione data alter alterum provocat ad alternis canendum et decertandum; et ambo pastores describuntur pueri vel adulescentuli. Singula vero paene ad verbum inter se consentiunt; qua de causa conferas velim haec:

id. VI:		id. VIII:
Δάφνις ὁ βουκόλος	=	Δάφνιδι βουκολέοντι
συνάγαγον	=	συνήντετο
ποκά	=	ὡς φαντί
εἰς ἕνα χῶρον	=	κατ' ὤρεα μακρά.
ἧς ὁ μὲν αὐτῶν πυρρός, ὃ δ' ἡμιγένειος	=	v. 3
πυρρός	=	πυρροτρίχω
ἄμφω ἄειδον	=	ἄμφω ἀείδεν
v. 5	≃	v. 5.

Quae cum ita sint, primum nobis quaerendum est, utrum Theocritus ut ingeniosus poëta vere ipse utrumque prooemium composuerit, an alterum alterius imitatione ab homine aliquo posterioris temporis factum sit. Quam rem controversam ut disceptemus, proficiscimur a vocibus *ἀνάβω* et *πυρροτρίχω* interpretandis, ex quibus solis nascantur omnes eius loci errores et difficultates.

Quamquam libri scripti omnes ad unum exhibent *ἀνάβω*, tamen ut aliae carminis tollerentur offensiones, corrigendum esse *ἐνάβω* censuerunt Koechly[1]) et Fritzsche[2]), qua in re hic quidem nititur scholiastae adnotatione hac: *ἔνηβοι μὲν οἱ πεντεκαιδεκαετεῖς καὶ πορρωτέρω, ἄνηβοι δὲ οἱ δωδεκαετεῖς καὶ κατωτέρω.* Quid? scholiasta nonne id tantum agit, ut vocem *ἀνάβω* explicet, qua in re ita facere ei libet, ut discrimen statuat inter duas voces synonymas?[3]) Atque etiam

1) Koechly, carm. Theocr. in strophas suas rest. spec. Ind. Turic. 1858, p. 15 et 20 non primus coniecit *ἐνάβω*, sed renovavit veterem Hemsterhusii coniecturam.

2) Ad. Th. Arm. Fritzsche, Theocr. idyllia, ed. II. Lips. 1865—1869, vol. II, cf. vol. I, adn. ad id. VIII.

3) Fritzsch. scholion mutilatum apposuit adnotationi; totum enim schol. hoc est: *ἀμφότεροι οὗτοι ἦσαν πυρρότριχες, ἀμφότεροι δὲ ἄνηβοι, ἤγουν ἀτελεῖς ἔτι τὴν ἡλικίαν. ἔνηβοι γὰρ οἱ πεντεκαιδεκαετεῖς κτλ.* ut supra,

argumenta certa possunt afferri ex ipso carmine, quibus traditam vocem re vera primo fuisse evincitur. Nam ne sit argumentum, quod pastores identidem in idyllio ipsi *παῖδες* vocantur (cf. vv. 28, 29, 61, 66, 81, 88), tamen in v. 64 Menalcas clarissime etiam *μικκόν* i. e. parvum se perhibet. Ac praeterea qui pubescentes (*ἐνάβω*) pastores poëtam sibi animo finxisse censent, non consideraverunt ea qua pubescunt aetate adulescentulos omnino carere facultate canendi neque, si qua conentur, fieri posse, ut argute vel canore canant id quod dicitur v. 71:

δεύτερος αὖ Δάφνις λιγυρῶς[1]) *ἀνεβάλλετ' ἀείδειν.*

Ergo pastores agentes aetatem pubertatis nondum participem existimandi sunt, si modo poëta sanus hoc poëma scripsit. Ceterum Theocritus ipse sententiam nostram confirmare videtur, cum scribit id. V, 87:

καὶ τὸν ἄναβον ἐν ἄνθεσι παῖδα μολύνει,[2])

quo ex versu cur lectionem *ἀνάβω* huic (VIII) carmini illatam esse Fritzschius coniecerit, nos quidem divinare non possumus.

Sed ne Vergilium quidem necessario legisse *ἐνάβω* scribentem (ecl. VII, 1—5):

„Forte sub arguta consederat ilice Daphnis,
„Compulerantque greges Corydon et Thyrsis in unum,
„Thyrsis ovis, Corydon distentas lacte capellas,
„Ambo florentes aetatibus, Arcades ambo,
„Et cantare pares et respondere parati".

---

quae verba, si ab una eademque manu scripta sunt, id quod verisimilius est, aperte refragantur illi coniecturae. Vulgatur autem *γὰρ* post *ἔνηβοι* neque est, quod cum Ahrensio (bucol. Graec. reliqu. tom. II. 1859 p. 286) ex cod. Gen.[b] scribamus *μὲν* et verba *ἔνηβοι μὲν κτλ.* seiungamus ab iis quae antecedunt, cum haec ille tribuit schol. recentioribus, illa vetustioribus, quae tamen ratio discernendi nonnunquam incertior videtur, quam ut ubique sine dubitatione eam sequi liceat. Cf. eiusd. praef. p. LX.

[1]) Cf. id. XV, 135 de feminae canentis voce; cf. etiam Uhlandi verba:
„Drunten singt bei Wies' und Quelle
„Froh und hell der Hirtenknab'."
Quamquam *λιγυρῶς* etiam de adulescentis vel viri voce media dicitur.

[2]) Cf. schol. *καὶ τὸν μικρὸν ἔτι καὶ ἀτελῆ παῖδα ἐν βοτάναις μολύνει* Recte igitur *ἐν ἄνθεσι* explicatur *ἐν βοτάναις* contra alia explicandi conamina schol., cf. id. XXVIII, 12; XXII, 106; XXI, 35; IX, 4; VII, 134. — De flore aetatis *ἄνθος* positum est in id. VII, 121. —

apparebit accuratius conferenti locos, cum illum verisimillimum sit initium sexti potius carminis Theocritei ante oculos vel in animo habuisse, siquidem conceditur verba: ,compulerantque greges in unum' probe consentire cum verbis: *συνάγαγον τὰν ἀγέλαν εἰς ἕνα χῶρον,* deinde ,consederat' spectare ad *ἑζόμενοι,* ,forte' ad *ποκά,* denique pastores sexti idyllii, si intellexeris extremi versus sententiam: *νίκη μὰν οὐδάλλος, ἀνήσσατοι δ' ἐγένοντο,* expressius dici potuisse ,cantare pares', ut verba quoque: ,ambo florentes aetatibus' repetita esse videantur ex verbis:

ἧς δ' ὁ μὲν αὐτῶν πυρρός, ὁ δ' ἡμιγένειος,

praesertim cum aetas hoc versu adumbrata (videlicet adulescentium) aut omnino aut semper fere soleat praedicari aetas florens. Cf. id. VII, 121. —

Neque igitur coniectura illa Koechly-Fritzschiana recto ut ita dicam talo stare potest neque aliter est, cur a tradita voce recedamus.[1])

Qua re explorata pergamus ad vocem *πυρροτρίχω* explicandam. Ac duplici modo eam accipiunt interpretes alii (Ahrens, Fritzsche, Meineke, al.) de barbae prima lanugine, alii (Kiessling, Wuestemann, Hiller, al.) de capilli colore. Hac in controversia nobis versandum est propterea, quod ad rem graviorem iudicandam ex ea quaestione novum momentum redundaturum esse speramus. —

Primum igitur quaenam vis subsit voci *πορρότριχος,*[2]) quaerentes facile intellegimus ea crinium colorem similem igni notari. Sed cum ignis colores multis differentiis subtilioribus variari possint inter purpureum et pallidum, quemnam distinctiorem poëta colorem sub voce *πυρρός* animo sibi cogitaverit, porro quaerentibus, quod pauca exempla apud Theocritum eaque ipsa controversa exstent, certo diiudicare difficile est.

---

[1]) Itaque certo reiciendum est, quod alibi proponitur: *ἐφάβω.* Itemque perperam vertit Couat (la poésie Alexandrine etc., Paris 1882 p. 418): «Tous les deux étaient imberbes, tous les deux adolescents».

[2]) Quod *πυρροτρίχω* derivandum est ab hac nom. sing. forma, pro qua usitatior est *πυρρόθριξ,* non offendit. Cf. schol. ad h. v., Eurip. Herc. fur. 934 *εὔτριχον γενειάδος,* praeterea Kuehner, Gram. d. gr. Spr. (Blass), 1890. I, § 151, 2. 3, id. p. 551, 506, 510. Cf. etiam adiectiva similiter composita, ut *ξανθόθριξ, χρυσόθριξ, μελάνθριξ,* al. multa. —

De voce *πυρρός* vide excursum I. Ergo eam rem interim in medio relinquamus et satis est hoc loco in universum memorare eam vocem plerumque positam esse vi voci *ξανθός* simillima easque voces ita non inter se differre, ut poëtae interdum promiscue iis uti videantur.

Primo igitur obtutu alicui parum diligenter locum inspicienti capillos puerorum descriptos videri libenter concedimus. Atqui si paulo accuratius insinuaveris in consilium et vim eius loci sententiaeque, capillos perhiberi non posse iam intelleges. Ut enim venustas puerorum hoc adiectivo circumscribatur a poëta,[1]) cum Fritzschio (l. l.) animadvertendum est ,pulchritudinis in universum notam hoc loco minime desiderari', sed vim totius versus positam esse in eo potius, ut aetas pastorum significetur id quod ex ipso *ἀνάβω* efficitur atque etiam verborum concinnitate quadam inter hunc et proximum versum comprobatur, cum quarto versu dupliciter, quid pastores arte possint musica, tertio, in qua aetate fuerint, duplici modo peragatur, quae ratio fere propria est anaphorae.

Quod si quis censeat aetatem hominum more poëtico apte notari posse capilli colore ac natura depingenda, respondendum est: sane hoc quidem fieri, sed ita ut plane contrariae aetates, dico iuventutem et senectutem, inter se opponantur (cf. Theocr. id. XXX, 14; XIV, 68 sqq. et Herond. ed. Buech. 1892, I, 67).[2])

---

[1]) Vulgo sic vertitur v. 'Ambo insignes erant flava coma, ambo pueri' (Kiessling) et 'Beide sie waren annoch blondlockige, beide noch Knaben' (Voss, Notter). Wuestemann quoque (ed. 1830, p. 35) *πυρρότρ.* 'pro *ξανθός* dictum esse putat'. — gloss. cod. M: *ξανθότριχες, ξανθόμαλλοι.* Si vere poëta hoc voluisset, mirum est, cur non usitatum et commune illud *ξανθός* pro *πυρρός* posuerit, ut semper aliis locis: cf. XVIII, 1. XIII, 103. II, 16. 78. VII, 116. cf. etiam Mosch. II, 68. 84. Il. III, 284. Od. XV, 133 atque etiam memorabile exemplum apud Eurip. (Phoen. 1159 sq.):

ξανθὸν δὲ κρᾶτα διεπάλυνε καὶ ῥαφὰς
ἔρρηξεν ὀστέων, ἄρτι δ' οἰνωπὸν γένυν
καθημάτωσεν- —

[2]) Late patet hic dicendi usus apud poëtas, ut nostras quoque Uhlandus scribit:

„Einst zog nach diesem Schlosse ein edles Sängerpaar,
„Der ein' in gold'nen Locken, der andre grau von Haar".

vel ut Platen. de Alarico iuvene dicit:

„Allzufrüh und fern der Heimat mussten sie ihn hier begraben,
„Während noch die Jugendlocken seine Schultern blond umgaben".

Cf. etiam Soph. Antig. 1092/93. —

Attamen hoc loco non tam refert pastorum aetatem simpliciter depingi contrariam senectuti, quam pastores etiamsi puerilem aetatem agentes (*ἀνάβω*), tamen non puerulos, sed pubertati propiores pueros adumbrari. Cuius aetatulae differentia subtilior nequit cognosci capillorum specie coloreque, quippe quibus pueri, pubescentes, adulescentes, etiam iuvenes non ita valde inter se differant, verum tamen varii aetatis eius gradus dignosci solent barba modo deficiente modo incipiente modo pullulante et plenius crescente. Qua ex re petitum genus dicendi quanto cum studio et amore poëtae amplexi sint ad ornandam orationem, quis est quin noverit? Velut Theocritus ipse in id. XV, 85 de Adonide dicit:

πρᾶτον ἴουλον ἀπὸ κροτάφων καταβάλλων,
ὁ τριφίλητος Ἄδωνις,

et in id. XI, 9 de Polyphemo pubescente:

ἄρτι γενειάσδων περὶ τὸ στόμα τὼς κροτάφως τε.

Cf. etiam id. II, 77 sq. Addimus unum exemplum memorabile quod apud Herondam, aequalem fere Theocriti poëtam, invenimus (mim. I, 51 sqq.):

ὁ πέντε νικέων ἆθλα, παῖς μὲν ἐν Πυθοῖ,
δὶς δ' ἐν Κορίνθῳ τοὺς ἴουλον ἀνθεῦντας,
ἄνδρας δὲ Πίσῃ δὶς καθεῖλε πυκτεύσας.[1])

Ac ne hoc quidem loco voci *πυρροτρίχω* ullam aliam significationem subesse nisi eam de qua modo diximus, iam nobis certissime persuadebimus simul atque respexerimus duos alios locos apud Theocritum insignes, alterum (id. VI, 3):

ἦς δ' ὁ μὲν αὐτῶν
πυρρός,[2]) *ὁ δ' ἡμιγένειος·*

alterum (id. XV, 128—130):

---

[1]) Praeterea cf. de eadem re Callim. hymn. in Jov. 55 sq., Il. XXIV, 347 sq., Od. XI, 317 sqq., Verg. Aen. X, 324, Ovid. Metam. XII, 395 sq., Trist. IV, 10. 56. Ac ne pedestris quidem orationes scriptores abhorrent ab hoc dicendi usu; cf. Xenoph. Cyrop. IV, 6, 5. — Plat. symp. p. 181, D. — id. Prot. 309 A. B.

[2]) Quin *πυρρός* de barbae primae lanugine hoc et sequente loco dictum sit, omnium interpretum quantum video consensu non ambigitur; cf. scholl. ad h. ll. —

τὰν μὲν Κύπρις ἔχει, τὰν δ' ὁ ῥοδόπαχυς Ἄδωνις
ὀκτωκαιδεκέτης ἢ ἐννεακαίδεχ' ὁ γαμβρός.
οὐ κεντεῖ τὸ φίλαμ', ἔτι οἱ περὶ χείλεα πυρρά.

Quibus adiungamus exemplum Euripideum non minus memorabile (Phoen. 32), ubi Iocaste de Oedipo filio narrat sic:

ἤδη δὲ πυρσαῖς[1]) *γένυσιν ἐξανδρούμενος*
παῖς οὑμός ....

Quid enim? cum ceteris rebus consensus quidam inter VI, 1—5 et VIII, 1—5 sit statuendus, nonne eo ipso adducimur, ut huius quoque *πυρροτρίχω* vim ex illo *πυρρός* (VI) sumptam esse existimemus. Iam vero et ex illis exemplis supra laudatis et ex aliis *πυρρός*[2]) praecipue usurpatum esse cum ab aliis poëtis tum a Theocrito ad significandam primam barbam pullulantem satis videmus. Itaque, ut saepe fit, huic voci quamquam proprie colorem significanti subici solet altera vis translata magisque universam rei naturam designans perinde ac patrio in sermone, cum adulescentes ‚milchhaarig' vel ‚flaumbärtig' nominamus, de colore vel de mollitie deductum nomen quodammodo amplificatur. Quod idem non valet ad v. *ξανθός.*[3]) Neque alienum est hic de linqua Latina monere, cui cum desit tale vocabulum peculiare, poëtis Romanorum ea res plenius exprimenda fuit, velut Vergilius dicit Aen. X, 324:

„Tu quoque, flaventem prima lanugine malas
„Dum sequeris Clytium ....

et Ovidius in Metam. XII, 395 sq.:

„Barba erat incipiens, barbae color aureus, aurea
„Ex umeris medios coma dependebat in armos".[4])

Sed cum ita statuimus, nihilominus difficultatem vocis interpretandae relinqui negare non possumus. Nam si pastores

---

[1]) De commutat. *ρσ* et *ρρ* cf. Kuehner l. l. p. 268. Ahrens, De dial. Doric. Gott. 1843, p. 102. — De derivat. cf. Curtius Etym.[5] p. 286. — A. Fick, Indog. Spr. Goett. 1876, vol. 2, IV, p. 154. —

[2]) Cf. excursum I, de hac voce.

[3]) Cave putes huic sententiae obstare id. II, 77 sq., *ξανθοτέρα ἑλιχρύσοιο γενειάς*, quo loco *ξ.* videlicet de plenae barbae colore, non de pullulante dictum est. —

[4]) Exemplis iisdem id quoque ipsum perspicuum fit colorem qui dicitur *πυρρός* esse flaventem vel aureum i. e., ut Germanice exprimamus, ‚rotblond' vel 'goldgelb' (accuratius: subflavum, cf. excurs. I.). —

cogitantur pueri pubertatem nondum adepti[1]) — et vere tales sunt cogitandi, ut supra ostendimus —, quod flaventes finguntur primae barbae lanugine, quae pubescentibus demum existat, id vel maxime repugnat communi sensui ac naturae hominum, ut praecise dicamus, *πυρροτρίχῳ* minime quadrat ad *ἀνάβῳ*. Cui sententiae si quis minus sit credulus, nemo poëta ipso auctor gravior invenitur, cum is in id. V, 87 sq. Laconem pastorem pronuntiantem facit de Cratida puero amato: *καὶ τὸν ἄναβον ἐν ἄνθεσι παῖδα μολύνει* et subinde de eodem puero: *κῆμὲ γὰρ ὁ Κρατίδας τὸν ποιμένα λεῖος ὑπαντῶν ἐκμαίνει· λιπαρὰ δὲ παρ᾽ αὐχένα σείετ᾽ ἔθειρα.* Quoniam *λεῖος* nihil aliud sibi vult nisi ‚levis mentum', clarius coargui non potest *ἄναβον παῖδα* Theocrito teste esse puerum impuberem et imberbem. Atque cum idem (id. XV, 128 sqq.) Adonidem prima barba flavum eundemque annum decimum octavum vel nonum agentem fingat cumque, ut alia omittamus, Homerus quoque rem probe nos doceat his verbis (Od. XI, 317 sqq.):

καί νύ κεν ἐξετέλεσσαν, εἰ ἥβης μέτρον ἵκοντο·
ἀλλ᾽ ὄλεσεν Διὸς υἱός, ὃν ἠΰκομος τέκε Λητώ,
ἀμφοτέρω, πρὶν σφωϊν ὑπὸ κροτάφοισιν ἰούλους
ἀνθῆσαι πυκάσαι τε γένυς εὐανθέϊ λάχνῃ.

(cf. etiam Il. XXIV, 347 sq.) antiquis temporibus non secus atque hac aetate observatum et animadversum esse de pubertatis initio indiciisque apparet. Huc accedit, quod prima lanugo male vocatur *τρίχες*,[2]) ad quam offensionem Hiller quidem (ed. Fritz.-Hill. 1881, p. 132) iure interpretantis animum attendit.

---

[1]) Cf. Buecheler, Jahrb. f. Philol. 1860, p. 351, qui pastores sumit pueros duodecim vel quindecim annorum, quod probandum est. —

[2]) Neque enim inepta illa dicendi ratio excusanda est locutionibus aut Aeschyli (Pers. 1056): *καί μοι γενεῖον πέρθε λευκήρη τρίχα*; (Sept. c. Theb. 533 sqq.): ... *ἀνδρόπαις ἀνήρ. στείχει δ᾽ ἴουλος ἄρτι διὰ παρηΐδων, ὥρας φυούσης, ταρφὺς ἀντέλλουσα θρίξ*, aut Euripidis (Herc. fur. 934): *εὐτρίχου γενειάδος*, quippe quibus plena barba viri intellegatur, neque altero exemplo Eurip. (Iph. Aulid. 225), in quo ille equos denotat *πυρσότριχας*, quod adiectivum non inepte equorum pellibus crinitis apponatur. Cf. Callim. hym. VI, 120. Itemque Meinekius (ed. III, 1856. p. 309) demontrans Homeri *καλλίτριχα μῆλα* et Bacchylidis *τανύτριχα μῆλα* frustra hanc offensionem tollere conatus est; nam quantum interest inter crassa vellera ovium et lanam primae barbae tenuem? —

Et cum in libris manu scriptis ea vox minime varietur, vix habemus, cur hoc loco ad coniecturam descendamus.

At accidit interpretibus quibusdam et criticis, ut has quidem offensiones sentirent, sed vocem illam de capillo dictam putarent, quod ipsum tamen, ut supra vidimus, non minus alienum est.[1])

Ac nos quidem, postquam haec omnia perpendimus, persuasum habemus non Theocritum, ut poëtam in carminibus componendis diligentissimum, hunc versum scripsisse, sed versificatorem aliquem, qui illum non ita prospere imitatus hic deprehendatur. Sic autem nobis recte iudicantibus iam porro licet colligere — nunc igitur relabimur ad quaestionem initio disputationis nostrae institutam — totum exordium octavi carminis esse ad exemplum sexti idyllii expressum.

Nolumus suspicione perstringere, quod reliqua verba aut verborum coniunctiones, quae non ex id. VI, 1—5 deprompta sunt, alicubi in idylliis occurrunt (cf. VII, 87, 92; I, 123; III, 46; XV, 137); sed certe id ipsum auget potius quam minuit suspicionem. Nam etsi concedimus in poësi bucolica vix fieri posse, quin interdum eaedem verborum coniunctiones similesque sententiae hic illic repetantur, et re vera apud Theocritum tales identidem scriptas videmus, tamen huic poëtae rursus verborum sententiarumque satis magna copia et varietas suppetunt, ut ea ipsa re delectemur eandemque admiremur; neque ignoramus ipsos imitatores libenter locutionibus eius quem imitantur poëtae uti, qua re fallere possint — et fallunt. Praeterea quod legimus *μᾶλα νέμων*, memoratu dignum est activum *νέμειν* notione ,pascere' nisi in hoc carmine a Theocrito non positum esse;[2]) nam ceteris in carminibus semper *νομεύειν* pro eo scriptum videmus, ut I, 14. 109. 120; III, 46; VII, 87. 113; XX, 35; XXVII, 37. 68. Cf. infra ad v. 66. —

De usu tamen Theocriteo particulae *ὦν* pro *οὖν*, quamquam Brinker (l. l.) in forma *ὦν*, ut totum prooemium spurium

---

[1]) Ut Brinker (l. l.) mirum in modum negat *πυρροτρίχω* 'eodem significatu usurpatum esse ac *πυρρός*' (VI, 3), quamquam ille v. d. probe intellexit reliquum prooemium c. VIII[i] ex sexto idyllio petitum esse; itemque Hiller (cf. ed. Fritzsch. — Hill. 1881 p. 132) iudicat de ea voce. —

[2]) Etiam in reliquis litteris Graecis is verbi usus raro observatur, cf. Od. IX, 233 (*νέμων*), sed 217: *ἐνόμευε*, 336: *νομεύων*. —

iudicet, argumentum gravissimum cerni vult, quod parum multa eius formae exempla apud Theocritum exstant, vereor quidquam pro certo statuere.

Iam vero verba *πρᾶτος δ' ὦν ποτὶ Δάφνιν ἰδών* minus ad sententiam graviorem exprimendam quam ad explendum versum scripta videntur atque mirum est, quod particula *ὦν* iam in v. 11 repetitur, et quod in v. 30:

πρᾶτος δ' ὦν ἄειδε λαχών

et in v. 61: *ταῦτα μὲν ὦν δι' ἀμοιβαίων*

non modo eadem particula satis supervacanea, verum in v. 30 etiam idem initium versus 5 *πρᾶτος δ' ὦν* rursus occurit quodque insuper tribus his locis fit concentus syllabae *ων* molestissimus, a qua re aliena est oratio poëtica Graecorum. Quae in componendi ratione inficeta artem poëtae aeque desideramus atque in anaphora vv. 3/4 instituta, cum non tam *ἄμφω* quater positum quam illud exiens *ω* septies repetitum Theocriti elocutioni refragetur. —

Metrica denique ratione hiatus quamquam singuli legibus metricis respondent, tamen ita ut hoc loco cumulati displicent neque levant suspicionem.[1])

Iam transeamus ad tractandam eam carminis partem (vv. 6—32), qua tamquam proluditur ad canticum pastorale. Menalcas igitur compellat Daphnim sic (v. 6):

μυκητᾶν ἐπίουρε βοῶν Δάφνι, λῇς μοι ἀεῖσαι;

et hic illum simili modo (v. 9):

ποιμὴν εἰροπόκων οἴων, συριγκτὰ Μενάλκα,

addimus v. 8:

τὸν δ' ἄρα χὠ Δάφνις τοιῷδ' ἀπαμείβετο μύθῳ.

quos tres versus ad consuetudinem Homericam formatos esse apparet. Cf. Il. V, 137; Od. VI, 67. Atqui Theocritum, si festinanter modo eius carmina perlegeris, quamvis non ignoret Homerum, tamen in bucolicis tales imitationes totorum praesertim versuum prorsus fugisse atque sua potius elocutione usum esse mox percipies.[2]) Quo accedit, quod paene ridiculum

---

[1]) Cf. Carolus Kunst. 'de Theocr. versu heroico' diss. Vindob. 1886 p. 109. Hunc librum perutilem identidem in quaestionem meam ascivi. —

[2]) Cf. excursum II, ubi paulo fusius de Th[i] imitatione Homerica disserui.

est puerum alloqui puerum epica consuetudine, tamquam si pastores non pueri, sed aetate multo provectiores atque adeo viri sint. Ribbeckius, vir doctrina probatissimus, docere me voluit horum versuum orationem quadam hilaritate conspersam esse, ut nihil offensionis in iis inveniri possit. Sed si vere auctor hoc efficere in animo habuit, ineptissime fecit, quod simplices pueros pastorales fingit peritos Homeri et loquentes ritu Homeri. Omnino autem cum totius carminis habitus tum puerorum natura non talis est, ut aut illud ceteroqui festivitate conditum aut hi facetiis praediti videantur. Contra cf. id. V. Utut igitur versus hos aspicimus, utique sana mens et ratio in iis desiderantur. Profecto ad eas ineptias minime aberrare potuit Theocritus, qui poëta quam non in bucolicis idylliis uti soleat turgida illa alloquendi ratione videmus ex compluribus exemplis, ut ille simpliciter dicit: *ὦ ποιμήν* (I, 7. 15) vel *αἰπόλε* (I, 1. 12), aut ponit nomen pastoris I, 146: *Θύρσι,* cf. IV, 1; V, 138; VII, 21, — nonnunquam cum adiectivo *φίλος,* ut IV, 41: *φίλε Βάττε* (cf. V, 70; VII, 27) aut scribit sic ut X, 1: *ἐργατίνα Βουκαῖε* et X, 7: *Μίλων ὀψαμᾶτα.* — Neque *ποιμήν,* id quod praecipue premendum est, unquam a Theocrito coniungitur cum genetivo ut hoc loco, sed solum sine genetivo semper scribitur cum notione opilionis, de qua re postea etiam pluribus dicendum erit.[1]) Cf. ad v. 49.

Iam porro simul ac vv. 6—16 diligentius contulerimus cum V, 20—30, inter has quoque partes utriusque carminis consensum et similitudinem cum totius rerum expositionis tum singularum locutionum sententiarumque intercedere sentiemus, sed hoc tamen discrimen inter utramque partem esse, ut in quinti carminis versibus sermo tamquam perfusus sit vigore quodam nativo pastorum per lasciviam ludibriumque cavillantium, in octavo contra langueat oratio. An versus 12 non est antecedentis versus mera repetitio sine ulla vi facta?[2]) Nos

---

[1]) *Ποιμὴν εἰροπόκων ὀίων* est abundatio dicendi et contra usum Theocriteum et contra sermonem pastoralem. —

[2]) Qui facetias in hac repetitione inveniri volunt, iis oppono animos horum puerorum alienos esse ab ioco ac ludibrio, praeterea in vv. 18/19, 21/22, 28 sqq. similes verborum iterationes admissas esse, in quibus parum artis videmus; in hac quoque iterandi ratione epicam consuetudinem adhibitam esse putamus; cf. supra p. 22. —

quidem quidquam artis in ea cognoscere non possumus. Sed ne temere ea dicere videamur, liceat nobis singula quae evidenter congruunt oculis proponere:

id. V		id. VIII
ἀλλ' οὖν αἴκα λῇς ἔριφον θέμεν	~	*λῇς μοι ἀεῖσαι-χρήσδεις ὦν ἐσιδεῖν; χρήσδεις καταθεῖναι ἄεθλον;*
ἀλλ' ἄγε τοι διαείσομαι, ἔστε κ' ἀπείπῃς	~	*φαμί τυ νικασεῖν, ὅσσον θέλω αὐτὸς ἀείδων.*
ἠνίδε κεῖται ὤριφος· ἀλλ' ἄγε καὶ τὺ τὸν εὔβοτον ἀμνὸν ἔρισδε (*ὅρισδε* Ahr.)	~	*μόσχον ἐγὼ θησῶ· τὺ δὲ θὲς ἰσομάτορα· ἀμνόν.*
καὶ πῶς . . . . τάδ' ἔσσεται ἐξ ἴσω ἁμίν;	~	*καὶ τίνα θησεύμεσθ', ὅτις ἁμῖν ἄρκιος εἴη;*

Quibus comparatis ut opinemur idyllii quinti versus fuisse propositos scribenti versus octavi, facile adducimur. Nam imitator, ubicunque de suo aliquid addit vel format, plerumque pro inscitia sua irretitur vitiis mendisque variis modo grammaticis modo metricis et proditur elocutione impolita et dura et aliena a Theocriteo dicendi usu; in has res nunc accuratius inquirendum est. Neque igitur enuntiato *λῇς μοι ἀεῖσαι*; (v. 6), quod Meinekio (p. 264) quidem ita offensioni fuit, ut emendari voluerit *λῇς μοι ἐρεῖσαι*, inesse ambiguitatem quandam loquendi negari potest; nam cum Menalcas adhortaturus sit Daphnim ad certamen canendi, ut postea intellegitur, is non commode dicit: *λῇς μοι ἀεῖσαι*; tamquam si alter delectari velit alterius cantu, ut I, 11 sq. Thyrsis caprarium interrogat *λῇς — συρίσδεν* vel I, 61 caprarius se Thyrsidi poculum artificiosum daturum esse promittens, si carmen illud de Daphnidis doloribus cecinerit, utitur his verbis: *αἴκά μοι τὺ φίλος τὸν ἐφίμερον ὕμνον ἀείσῃς*, itemque sensit, qui epigramma V composuit, usus etiam iisdem verbis: *Λῇς ποτὶ τᾶν Νυμφᾶν διδύμοις αὐλοῖσιν ἀεῖσαι | ἁδύ τί μοι; κἠγὼ πακτίδ' ἀειράμενος | ἀρξεῦμαί τι κρέκειν*,

in quibus de canendi certamine non agi apparet. Quae cum ita sint cumque sciamus epigrammata plurima Theocrito falso

adscripta, in quibus quintum certo numerandum est, et ludicra versificandi studia esse aliorum, quos poëtam imitari iuvabat, ambiguum est, an vestigia, si non eiusdem, at fortasse similis stili in utroque poëmate (id. et epigr.) dispiciamus[1]. Sed in lubricam viam ne aberremus!

Iam vero haeremus in eo, quod post v. 10 insolenter praetermittitur versus interloquentis (versus diverbii partes coniungens), antea v. 5 et v. 8 scriptus sermoque per merum dialogum producitur usque ad v. 28, ubi diverbio abrupto rursus recurrit oratio ad narrandi viam initio carminis institutam, quae ratio caret arte atque elegantia et abhorret a scribendi usu Theocriteo. De hac re cf. idd. I, IV, V, X, XIV, XV, in quibus dialogus a primo ad extremum versum percurrit, idd. II, III, XII, quae sunt monologi, id. VI, VII, (IX), XI, XVIII, quae quidem habent mixtum orationis genus ut in id. VIII, in quibus tamen versus interloquentis poëtae semper in loco ponitur, idd. XIII, XVI, XVII, quae tria mera narratione scripta sunt; reliqua carmina ut dubia respicere vix licet; quorum tamen in numero id. XXII simile octavo praebet compositionis genus in vv. 53—75, quod exemplum unicum praesertim in poëmate neque bucolico neque certe Theocriteo tollere non potest suspicionem de id. VIII prolatam.

Atque etiam magnam affert dubitationem negotiumque criticis v. 10, quem et Ahrensius et Ziegler (cf. adn. crit.) corruptum denotant quemque quomodo ex vitiosa scriptura tradita expediamus, ut sanus fiat, nescimus, quamquam assidue conati sumus. Ac paene invidemus Fritzschii levitati iudicandi, cum ille v. d. „lectiones varias nullius esse momenti“ ratus acquiescat in coniectura, quae et a tradita forma valde discedit neque tamen tollit difficultatem. At nos quidem proficiscendum esse arbitramur a libris manu scriptis, quorum in praestantissimo, Ambrosiano codice (k), versus exhibetur sic:

οὔποτε νικασεῖς μ' οὐδ' εἰ παθέοις τύγ' ἀείδων

itemque in meliore Mediceo (*p*) legitur: *εἰ παθέοις*, sed *με* pro *μ'* (var. *εἴ τι παθέεις* superscr. *οι* in Vatic. 913 teste Ziegl. et *πάθῃς* M. Q. Ahr.). Verba autem *οὔποτε νικασεῖς μ' — τύγ' ἀείδων*

[1]) Cf. Bion. rel. II (Mein.) v. 1:

Λῇς νύ τί μοι Λυκίδα Σικελὸν μέλος ἁδὺ λιγαίνειν.

in unum sententiae membrum coire censeo, quod verbum νικασεῖς supplentem canendi vim desiderat, sicut legimus in id. VII, 39 sq. οὔτε τὸν ἐσθλόν | Σικελίδαν νίκημι τὸν ἐκ Σάμω οὐδὲ Φιλητᾶν | ἀείδων; itemque in v. 7 id.[i] VIII[i] (cf. etiam v. 84) arte adiungitur ἀείδων ad νικασεῖν; praeterea praestat τύγ' ad νικασεῖς referri quam ad παθέοις propter oppositum με. Ex his igitur verbis exsistit haec sententia clara: ,tu quidem me cantando non vinces', qua sententia accommodate respondetur ad verba Menalcae (v. 7): φαμί τυ νικασεῖν — ἀείδων. (Idem senserunt Kiessling., Wuestemann., Ameis., alii). Ut recte ita interpretemur, quod putamus, iam porro opinandum est ad enuntiatum ὅσσον θέλω αὐτός = ,quantum cupio mea sponte (αὐτός)' etiam spectare concinnitatis lege servata versus decimi alterum membrum οὐδ' εἰ παθέοις, ut facile divinetur, quid sibi velint haec verba, vel potius, quid iis auctor dicturus fuerit; nempe hoc: ,ne tum quidem, si tam multa vel tam diu cecineris, quam canere tibi licet' i. e. quoad exanimatus atque confectus eris, ut moriaris', praecise igitur ,etiamsi usque ad perniciem tuam cantes'. Sed hanc sententiam vere exprimi illis verbis οὐδ' εἰ παθέοις quis est qui intellegat? Ac primum quidem ad artem grammaticam si examinemus locum, reprehendatur oportet et quod verbum caret obiecto, et quod insolens posita est forma optativi. Itaque editionibus omnibus, quas quidem inspexerim, receptum est εἴ τι πάθοις, quae emendatio nescio a quo profecta commendari videtur partim ea quae variatur scriptura: εἴ τι παθέεις (quamquam ea ipsa potest haberi correcta), partim, cum respicitur illud Atticum ἤν τι πάθω. Sed haec emendata lectio nititur dumtaxat scriptura male tradita neque — id quod gravissimum est — omnino menti satisfacit[1]); nam cum dicitur: ,tu quidem me cantando non vinces, ne ita quidem, si quid tibi acciderit', sentimus non satis plenam esse eam locutionem, sed subobscuram atque desideramus in eadem rationem expressam, quae intercedat inter moriendum et canendum. Haec igitur mecum re-

---

[1]) Etiam numeri versus inusitati fiunt trochaeo ante incisionem quarti pedis posito, licet excusetur, ut a Meinekio l. l. p. 264 et a Fritzsch-Hill. ad id. XXIV, 1. Contra Brinker l. l. p. 23 offenditur. Cf. Kunst. l. l. p. 62. 49. — Praeterea huic formae condicionalis sententiae non est alterum exemplum apud Th. Cf. Wåhlin, de usu modorum Theocr. p. 36 in Göteborgs Högskolas Årsskrift, vol. III. 1897. —

putanti mihi ne emendata quidem lectio digna videtur esse, quae sine dubitatione traditae anteferatur. Verum ut aliud et probabilius quidquam coniciendo eliceretur, adhuc non contigit et vereor, ne omnino non contingat[1]). Multum autem versatus in hoc loco equidem novam de hoc versu diversamque a ceteris opinionem mente concepi suspicatus codicis Ambrosiani (*k*) et Medicei (*p*) scripturam esse eam, quae initio ab ipso auctore litteris mandata sit, et quod manca est, id ipsum videtur mihi esse indicii instar, ex quo non Theocritum versum illum scripsisse, sed imitatorem efficiatur. Hic haud scio an *παθέοις* (cf. id. XX, 45 *φιλέοις*) sibi formaverit de verbo *παθέω*, scilicet cum eius menti obversari possent composita illa verba *δεινοπαθέω, κακοπαθέω* (Xen.), *εὐπαθέω* (Herod. Plat.)[2]). Neque inanem esse eam cogitationem et ex iis quae supra inquirendo exsecuti sumus perspicitur, et affirmabitur sequente disputatione, in qua identidem de rebus similibus dicendum erit.

Iam in verbis quae subinde sequuntur: *χρήσδεις ὦν ἐσιδεῖν* (v. 12) paulum morandum est. Levius autem fertur, quod usus verbi *χρῄζειν* = ,velle' non iterum in bucolicis carminibus observatur[3]); videlicet auctor horum versuum abusus modo usitatis apud Theocritum verbis cupiendi (*λῇς* v. 6 et *θέλω* v. 7) variandi causa v. 11 *χρήσδεις* scripsit. Theocritus quidem nescio an omnino vitaturus fuerit oratione notionem ,velle' ter uno quasi spiritu positam et insuper *χρῄζω* ter deinceps repetitum, quibus languidus fiat sermo. Sed multo gravius offendimur verbo *ἐσιδεῖν*, quod mira cum vi hoc loco usurpatur; subicitur enim verbo vis experiendi, ut in vernaculam linguam vertendum sit *χρήσδεις ὦν ἐσιδεῖν* sic fere: ,willst du's also mitanseh'n (probieren)?' quod Vergilius exprimit plenius his verbis (ecl. III, 28): ,Vis ergo inter nos, quid possit uterque,

---

[1]) Futile est, quod M. Schmidt in Mus. Rhen. XXVI, 1871 p. 177 scribendum proposuit: *οὐ δῆτ', ἀθεεῖ* pro *εἰ παθέοις*, neque ulla re commendatur, praesertim cum ille v. d. ipse satis habuerit proponere et ne uno quidem verbo id defenderit.

[2]) Praeterea monendum est de sententia illa: *ὤμοι ἐγώ, τί πάθω* (cf. III, 24); cf. etiam Od. V, 465. Il. XI, 404. —

[3]) Sed cf. XV, 28 et XVIII, 12, ubi tamen incerta est lectio; utroque autem loco *χρῄζειν* coniungitur cum *καθεύδειν* praevalente significatione indigendi. —

vicissim experiamur?' Etenim primum desideramus accusativum amplius distinguentem illud verbum, saltem ut fit in proximo versu (*τοῦτ' ἐσιδεῖν*), tum *ἐσορᾶν* apud Theocritum nisi cum notione intuendi vel adspiciendi scriptum non videmus idque circiter duodecies (cf. I, 87, 70. II, 112. V, 3. VI, 31. VIII, 56. XI, 28. XIII, 4. XXV, 115. epigr. XIX, 1. Adon. 28; memorabile vero est, quod legimus XXV, 43:

Αὐγείην ἐθέλοιμί κεν ἀρχὸν Ἐπειῶν εἰσιδέειν.)

Ac Theocritus cum videndi sensum voluit transferri ad alios sensus, quae dicendi ratio nimirum late patet, scribere solet verbum etiam ceteroqui usitatum *θάομαι* (*θεάομαι*), ut I, 149 de olendo: *θᾶσαι φίλος, ὡς καλὸν ὄσδει,* — III, 12 de animi perceptione: *θᾶσαι μὰν θυμαλγὲς ἐμὸν ἄχος,* — X, 41 de audiendo: *θᾶσαι δὴ καὶ ταῦτα τὰ τῶ θείω Λιτυέρσα*; praeterea cf. IV, 50. XV, 65. — Cum igitur neque apud Theocritum neque in ceteris litteris Graecis, quantum circumspeximus, simile huic exemplum demonstrari possit, hunc versum (11) esse inquinatum putamus vitiosa locutione, quae poëtae ipsi certe adscribenda non est. Et leviora quaedam augere videntur totius loci offensionem; velut insulsa intellegitur talis verborum iteratio, qualis in vv. 11 et 12 exsistit. Enimvero, quod in iis versibus interpretes quidam lepidum quasi verborum lusum inesse existimant (cf. Fritzsch. ad h. l.), non possumus non mirari. Sed de hoc dicendi modo alii aliter sentire solent nec potest diiudicari argumentis. Certius profecto iudicare et disceptare nobis licet, ubicunque agitur de arte grammatica et metrica servata aut neglecta vel de sententia apte aut inepte prolata maximeque de examinanda fide librorum manu scriptorum. Quorum in fundamento stabili tamquam nitimur etiam tum, cum titubare illud videatur, ut est in tradito versu decimo tertio (13), ad quem nunc transgredimur.

Is enim corruptissimus, ut videtur, variatur codicibus sic:

καὶ τίνα θησεύμεθ' ὅστις χ' ἁμῖν ἄρχιος εἴη; k. m.
καὶ τίνα θησεύμεσθ' ὅστις ἅμιν ἄρχιος εἴη; p.
καὶ τίνα θησεύμεσθ' ὅτις ἁμῖν ἄρχιος εἴη; s.
ἀλλὰ τί θησεύμεσθ' ὅ κεν ἁμῖν ἄρχιον εἴη;
Iunt. Call. vulg.
ἀλλὰ τί θησεύμεσθ' ὅ μεν ἁμῖν ἄρχιον εἴη;
Med. Ald.

Schol. k.: *τίς ἄθλος ἡμῖν ἀρκέσει, καὶ τίνα καταθήσομεν;* Cf. etiam Il. X, 304: *μισθὸς δέ οἱ ἄρκιος ἔσται.*

Ex multiformi versus scriptura hoc elucet, quid verum sit et probabile, inventu difficile esse, nisi forte eam viam ingressuri sumus, quam veteribus editoribus (atque etiam recentioribus quibusdam criticis)[1]) ad corrigendum libuit ingredi; nam in editionibus illorum, Iunt. Callierg. itemque in vulgata et similiter in Mediol. et Aldin. versus exhibetur forma iam non ita manca aut suspecta, at tamen correctus nimia cum libidine prorsus neglectis codicum scripturis.[2]) His autem nobis paulum immorandum est. Conveniunt igitur, ut videmus, libri vetustissimi et optimi in primo et extremo versu, cum tradunt:

καὶ τίνα – ⏑⏑ – ⏑⏑ ἁμῖν ἄρκιος εἴη;

(cf. eundem versus exitum in id. XXV, 190), discrepant tamen in medio, ubi duo pedes verbis explendi sunt, quod quomodo in libris factum sit, considerantes nullam lectionem vitiorum expertem esse intellegimus. Sane prae iis lectionibus, quae in codicibus Ambrosiano (k), Vaticano (m) et in libro Mediceo (p) exstant quibusque illata sunt intolerabilia vitia numerorum, melius est quod legitur in altero Mediceo (s), ut receptum sit in recentes editiones. Hermannus (l. l.) quoque versum olim ita scriptum fuisse censet, ut in cod. s traditur. Sed *ὅτις,* quod pro *ὅστις* ibi legitur, quoniam in Theocriti reliquiis demonstrari non potest, caret omni fide. Cf. *ὅστις* in genuinis idd.: V, 28. 67; VII, 45; XII, 34; XVI, 64 (in p. k., sed. var.); in dubiis cc.: XXII, 54; XXV, 48; formae ab *ὅστις* derivatae leguntur in cc.: XIII, 2 (*ᾧτινι*); XIV, 19 (*ὧτινος*); XVI, 68 (*ᾧτινι* in p. k., sed var.); — XXV, 35 (*οὗτινος*), 219 (*ὅντινα*). Restat id. XXX, 25, ubi *ὄτις* vel *ὄττις* aeolica forma est, et XXII, 68: *ὅτῳ* quod alioquin exhibitum pro *ᾧτινι,* praesertim cum legatur in carmine dubio et epico, nihil pertinet ad rem.[3]) — Theocriti igitur consuetudinem dicendi si respiciamus, *ὅστις,* non *ὅτις* scribendum fuit, qua re suspicio nobis movetur. Suspectior etiam fit versus, cum alia et non levia praeter illud depravent lectionem

---

[1]) Pullalant h. v. coniecturae perversae et probabiliores, bonae tamen nullae. Cf. Fritzsch. ad h. v. —

[2]) Cf. G. Hermann. opusc. V, p. 82. —

[3]) Cf. Kühner l. l. § 176, 3.

codicis s. Quamquam medium θησεύμεσθα minime offendere contra Meinekium l. l. p. 476 et Brinkerum l. l. contendimus, quia interpretandum est: ‚quod praemium nobis deponemus', quae vis in sequentium versuum formis θησῶ, θησεῖς etc. aperte non inest, tamen numeri versus sunt magna asperitate et insolentia. Cf. Meinek. l. l. p. 476: ‚neque spondeus in quarto pede defendi potest'; similiter iudicant Hiller l. l. et Brinker l. l. p. 19 et 24. Cf. etiam Kunst. l. l. p. 55 sqq.; exemplorum tamen, quae ibi collecta videmus (in quibus spondeus pedis quarti insequente incisione legitur), nonnulla segreganda putamus, ut I, 6. 130 alia. Eodem accedit, ut si poëtam ipsum de re percontemur, in enuntiato relativo particula κεν requirenda videatur, tametsi non abundant eius generis exempla; inveniuntur enim haec: in genuinis idd.: VII, 100 ἐσθλὸς ἀνήρ, μέγ' ἄριστος, ὃν οὐδέ κεν αὐτὸς ἀείδειν | Φοῖβος σὺν φόρμιγγι παρὰ τριπόδεσσι μεγαίροι. XII, 14 ὥς κεν ὁ Θεσσαλὸς εἴποι, in ceteris idd.: XXII, 64 ἄργυρος ἢ τίς ὁ μισθός, ἐρεῖς, ᾧ κέν σε πίθοιμεν; (attende hoc exemplum, in quo sententia huic simillima simili modo effertur). XXV, 49 σύ μοι φράσον — ὅστις ἐπ' ἀγρωτῶν γεραρώτερος αἰσυμνήτης, ᾧ κε τὸ μὲν εἴποιμι. Cf. XXV, 61.[1]) — Itaque fortasse prudentissimum est reverti ad scripturam Ambrosiani (k) et Vaticani (m) — Medicei (p) scriptura non multum differt a codice s —, ut sit altera versus pars ὅστις χ' ἁμῖν ἄρκιος εἴη et in priore restet unus verbo inserendo dactylus. Sed hic haeremus; nam neque traditum θησεύμεθ' quadrat in numeros neque dicere possumus, quae alia verbi forma versui accommodetur. Verum quidem cogitari non debet, si qua in mentem veniat alicui, de formis θήσομεθ' vel θήσομεν prorsus alienis a dialecto Theocritea. An versificatorem id re vera fefellit? Denique unum reliquum est, quod miramur in versu. Ex vocibus enim τίνα — ὅστις — ἄρκιος apparet ἄεθλος (pro ἄεθλον) praemium certaminis in versibus qui antecedunt intellegendum esse; contra hunc vocis usum pugnant duo loci: id. I, 3: μετὰ Πᾶνα τὸ δεύτερον ἆθλον ἀποισῇ et id. XXII, 70

---

[1]) Quod licet Homero, non semper licuit Theocrito; cf. Il. V, 303. XXIII, 494. Ad Homeri exemplum compositum est id. XXV, itaque v. 219: ὅντιν' ἐροίμην. — Locus id. XV, 94: μὴ φύη Μελιτῶδες ὃς ἁμῶν καρτερὸς εἴη πλὰν ἑνός aliquatenus probat l. id.[i] VIII[i]; sed in illo enuntiato relat. copulantur duae verborum constructiones. — Cf. Wåhlin. l. l. p. 19. —

ἢ καὶ ἄεθλον ἑτοῖμον.[1]) Cf. ἆθλος = labor, certamen in XXI, 52; XXIII, 56; XXV, 204; epigr. XX, 5. Numerorum profecto necessitate Theocritus cogi non potuit communem vocis usum non observare. Duo autem grammaticorum veterum testimonia, quae ascire solent hoc loco interpretes quaeque legimus in Bekkeri anecd. p. 210, 14: ,ἆθλος, ἀρσενικῶς τὸ ἔργον καὶ τὰ ἔπαθλα' et p. 349, 21: ,ἆθλος, ἀρσενικῶς τὸ ἔργον καὶ τὸ ἀγώνισμα καὶ τὸ ἔπαθλον. διαφέρει δὲ τοῦτο τοῦ οὐδετέρου, ὅτι τὸ μὲν οὐδέτερον δηλοῖ κυρίως τὸ ἔπαθλον, τοῦτο δὲ τὸν ἀγῶνα' quidnam aliud docent nisi discrimen ita factum esse, ut ἆθλος ad communem usum habeat vim certaminis (laboris) et ἆθλον praemii, sed eum usum non tam constantem fuisse, ut non interdum (nescimus aut quoties aut a quibus) neglectus sit.[2]) Quae vitia omnia ut tollerentur, id egerunt qui multifariam coniecturis hunc versum 13 temptaverunt. Supersedebimus iam ipsi, quo pacto sanandus sit versus, quaerere mentem frustra attendentes. Ostendimus enim id quod voluimus alterum exemplum, quo versum ab ipsius auctoris (non dico Theocriti) manu vitiosum, si minus, certe perquam durum scriptum fuisse verisimile fiat.

Neque secus iudicandum erit de duobus qui inde sequuntur versibus (14. 15), quos optimorum librorum consensu traditos habemus hoc modo:

Δ. μόσχον ἐγὼ θησῶ· τὺ δὲ θὲς ἰσομάτορα ἀμνόν.
M. οὐ θησῶ ποκα ἀμνόν, ἐπεὶ χαλεπὸς ὁ πατήρ μευ —.

Etenim denuo gravissime cum videmus peccari in notissimas leges metricas his versibus, paene stupescimus. Ac non opus est longa rerum quae omnibus cognitae et in aperto sunt explanatione. Paucis tamen dicendum est de iis quae vituperari oportet. Primum igitur contra Piersonum suspicatum λιπο-

---

[1]) Attende etiam ἄεθλος in Jonica dialecto, ἆθλος in Dorica usitatum esse, itaque I, 3: ἆθλον, XXII, 70: ἄεθλον; quapropter id. VIII, 11. 12 ἆθλον potius scribendum fuit. Cf. Kühner l. l. § 50, 6. —

[2]) Cf. Meinek. l. l. p. 476: 'neque ἄεθλος unquam pro ἄεθλον dictum, quamvis affirment grammatici'. — Hermann. opusc. V, p. 82. — Meinekii iudicium exsecutus est Brinker l. l. — Inepte Fritzsch. ad h. l. monet de id. I, 103 et de Verg. Georg. II, 530, quae exempla cum hac re conferri non debent. Cf. etiam Lehrs. de Aristarch. stud. Hom.[3] p. 148, 89. — Mémoires de l. Soc. d. Lingu. d. Paris. tom. XI, p. 190 (Michel Bréal). —

μάτορα pro tradito *ἰσομάτορα* scribendum esse edita vox servanda est duabus de causis: priore, quod *ἰσομάτορα*, quid sibi velit, bene intellegitur, altera, quod similem habet vim et formam atque *ἰσοπαλής* (scl. *ὥριφος*) idyllii V, 30, ex quo etiam alia et complura deprompta esse octavo supra cognovimus. Cum enim pluris stet vitulus quam agnellus, Daphnis poscit a Menalca ad praemia compensanda agnum adeo adultum, ut matri suae magnitudine par (*ἰσομάτορα*), ergo aequo pretio (*ἰσοπαλής*) sit ac vitulus, quem Daphnis depositurus est. — Verum enimvero duplex hiatus ante *ἀμνόν* et productio brevis syllabae bis in arsi admissa duorum se excipientium versuum efficiunt, ut ii quam maxime suspecti videantur. Neque compositionis exemplum simile huic loco, quo non una, sed cumulatae licentiae eaeque non legitimae admittantur, apud poëtam ne mediocris quidem auctoritatis, nedum apud Theocritum aliumve clari nominis vatem reperias. Quamquam quod *ος* in *χαλεπός* vi arseos producitur sequente vocali, defendi videtur aliquatenus his locis: I, 115 *ὢ λύκοι, ὢ θῶες* ||, *ὢ ἀν' ὤρεα φωλάδες ἄρκτοι;* — III, 12 *θᾶσαι μὰν θυμαλγὲς ἐμὸν ἄχος;* — VII, 85 *κηρία φερβόμενος* || *ἔτος ὥριον ἐξεπόνασας;* — X, 30 *ἁ αἲξ τὰν κύτισον,* || *ὁ λύκος τὰν αἶγα διώκει;* — XI, 46 *ἔστι μέλας κισσός,* || *ἔστ' ἄμπελος ἁ γλυκύκαρπος;* — XV, 90 *πασάμενος ἐπίτασσε;* — XV, 100 *Δέσποιν', ἃ Γολγώς τε καὶ Ἰδάλιον ἐφίλασας;* — XV, 123 *ὢ ἔβενος,* | *ὢ χρυσός,* || *ὢ ἐκ λευκῶ ἐλέφαντος,* tamen, quantum videmus, eae productiones plerumque vi caesurae atque interpunctionis satis mitigantur (cf. Kunst. l. l. p. 71) praeter tres: III, 12; XV, 90. 100; quarum rursus una (XV, 100), etsi fit in eadem sede qua *χαλεπός,* tamen propter difficultatem ex nominibus propriis ortam habet excusationem.[1]) Utut est, si hoc unum esset quod offenderet, hi duo versus certe dubitationem nullam suscitarent. At quod in priore versu vox etiam monosyllaba *θές* praeter illud producitur, hoc

[1]) Cf. id. XXIV, 42. XXV, 2, 50. 57. 172. 203, qui loci nimirum non multum ad statuendum usum Theocriteum valent. Et recte iudicat Christ. l. l. p. 199 sic: „Doch sind jene Freiheiten (Hiatus und Silbenverl.) nicht gleich zahlreich bei allen Dichtern und in allen Gattungen der Dichtkunst; so ist insbesondere ihr Gebrauch in didaktischen und bukolischen Gedichten beschränkter, als im heroischen Epos, etwas, was man namentlich aus einer Vergleichung des dem Theocrit zugeschriebenen Epyllion *Ἡρακλῆς λεοντοφόνος* mit den ächten Idyllen des Th. ersehen kann.“ —

cum ipsum per se, quia talia exempla prorsus desunt, tum in ista mendorum copulatione non ferendum est. (Cf. Meinek. p. 264; Brinker. p. 22. 24). Nam duplici illo hiatu non legitimo[1]), qui accedit his versibus, non modo nihil artis aut elegantiae sed ne tolerabilis quidem conditio in iis remanet. Et qui voci *ἀμνός* digamma fuisse opinarentur, egregie erraverunt.[2]) Si autem sequeremur rationem eorum qui voculis *γε* et *τε* modo hic modo illic interpositis (utuntur scilicet remedio simplicissimo) locum sanari voluerunt, videremus eos versus hac forma:

μόσχον ἐγὼ θησῶ· τὺ δὲ θές τ' ἰσομάτορα γ' ἀμνόν.
οὐ θησῶ πόκα γ' ἀμνόν, ἐπεὶ χαλεπός θ' ὁ πατήρ μευ.[3])

Illae vero particulae omnes ut inanes ac supervacaneae sunt reiciendae. Atque alia quoque emendandi conamina irrita fiunt simul atque aut proponenda nobis aut ab aliis proposita ad librorum fidem examinamus, velut quod Fritzschio in mentem venit: *τὺ δὲ θές γ' ἰσομάτορ' ἔπισσαν* et *οὐ θησῶ ποκ' ἔπισσαν* stare non potest. Quid igitur? Putamusne Theocritum tam vitiose panxisse hos versus, quibus componendis neque sententiae difficilius formandae neque nomina propria neque talia impedimento fuerint, an ipsum quidem scripsisse, sed modo in libris miserrime depravatos esse? Neutrum habet quidquam verisimilitudinis neque facere possumus, quin eos versificatoris alicuius opera procreatos esse credamus.

Iam transeamus ad sequentes versus, quos animo perlustrantes eandem componendi artem tenuem usque recognoscemus. Primum leviora quaedam commemoremus. Quod in v. 16 adverbium *ποθέσπερα* caret articulo, observamus idem adverbium a Theocrito bis cum articulo positum esse, *τὰ ποθέσπερα* in IV, 3 et V, 113 atque etiam alia eius generis adverbia

---

[1]) Quod convenit mihi cum Meinek. l. l., Hiller. ad hos vv., Brinker. l. l. p. 21. 24, Kunst. l. l. p. 122. — Ceteri hiatus, qui legibus parum temperantur, exstant apud Th. his locis: X, 28. XV, 32. 149. XVI, 2. XVII, 135, quos tamen aliquo modo excusari posse putaverunt Brinker et Kunst. —

[2]) De Ϝ cogitaverunt F. Jacobs. et Wuestemann. ap. Wuest l. l. p. 136. — Cf. Curtii, Grundr. d. griech. Etym.[5] p. 590. — Kuehner. l. l. § 18, ubi plures dispp. de ea re citantur. —

[3]) Cf. *θές τ'* p. D. Q. — *θές γ'* Call. Fritzsch. — *πόκα γ' ἀμνὸν* Comm. cod. 6. — *χαλεπός θ'* vulg. — Atque eodem iure forsitan quispiam suspicetur post *ἰσομάτορα* ommissum *γ'*. Contra Veron. ad Verg. ecl. III, 3 legit *σὺ δὲ θὲς ἰσομάρτυρα ἀμνόν.*

poëta semper fere cum articulo coniungere solet, ut I, 15; V, 13. 126; X, 48. — I, 41; III, 3; sed VII, 21 lectio inter *σύ, τύ, τό* fluctuat. Cf. Fritzsch.-Hill. ad III, 3. Deinde in v. 17 memorabile illud *τὸ πλέον*, quo significatur praemium certaminis, fortasse ex V, 71 petitum est, ubi legimus *μήτε Κομάτα τὸ πλέον εὐθύνῃς*, quo loco cogitare licet de librando, ut *τὸ πλέον* sit illud plus quod in alteram partem libramentum efficit; qua in re nos non fugit *τὸ πλέον* in V, 71 primum non intellegendum esse praemium, sed favoris modum maiorem, quo tamen ad postremum commotus arbiter dat praemium. Cf. I, 20: *ἐπὶ τὸ πλέον* (*τᾶς βουκολικᾶς Μοίσας*); III, 47: *ἐπὶ πλέον* (*λύσσας*). Constat autem imitatores saepius captare locutiones proprias eius quem imitantur poëtae, quod num hoc loco factum sit, in medio relinquimus. (Cf. Mosch. in *Ἔρως δραπέτης* v. 5: *τί δ' ὦ ξένε καὶ πλέον ἑξεῖς*). Atque idem cadit in vv. 18—24, quibuscum contendamus I, 128 sq.: *καὶ τάνδε φέρευ πακτοῖο μελίπνουν* | *ἐκ κηρῶ σύριγγα καλάν, περὶ χεῖλος ἑλικτάν.* Cf. IV, 28: *χὰ σῦριγξ —, ἅν ποκ' ἐπάξα.*

Tum quod Menalcas (v. 18) fistulam depositurus est enneaphonon, talis fistulae nusquam iterum mentio fit,[1] sed potius eam septem calamis communi more compactam fuisse testis est et Vergilius in ecl. II, 36:

,Est mihi disparibus septem compacta cicutis
,Fistula,

et Ovidius in Metam. II, 680 sqq.:

,Illud erat tempus, quo te pastoria pellis
,Texit, onusque fuit baculum silvestre sinistrae,
,Alterius dispar septenis fistula cannis.[2])

Cur tandem Vergilius, quippe qui carmen VIII Theocriti novisse videatur, hac re discrepat ab exemplo suo? — Iam vero ex alia ratiocinatione fistula enneaphona est absurdum aliquid:

---

[1]) Nummo Syracusano, in quo fistula enneaphona ficta esse fertur teste Vossio (ad Verg. ecl. p. 57) non magis fidem ullam tribuere possum, quam carmini figurato, quod *σῦριγξ* inscribitur, quo numerus decem carminum bucolicorum certissime indicari putatur. Cf. H. Blümner, Technologie und Terminolog. d. Gewerbe und Künste u. s. w. II, p. 395. —

[2]) Itemque de lyra dicitur: 'septem discrimina vocum' a. Verg. (Aen. VI, 646). —

musicis enim rebus doctus vir non ignorat esse septem sonos principales (qui appellantur octava musica), qui in syringa effiiciuntur septem modo calamis cera iuxta colligatis; inflatu acriore proferuntur discrimina septenis intervallis distantia, ut novae voces principalibus acutiores sonent. In novem igitur calamorum syringa duo non solum inutiles, sed etiam impedimento sunt ei qui communi fistula (quae est septem cannarum) artem canendi didicit. Quam ob rem neque Hiller (l. l.) iudicans: „Eine derartige (neunst). Syrinx soll hier etwas Besonderes sein“ neque Cartaultius interpretatus (p. 480)[1]: «c'est un instrument de luxe, puisque le nombre ordinaire était à ce qu'il semble de sept» hanc discrepantiam sustulit aut rem veram perspexit. Huc accedit etiam altera causa: cum uterque pastor talem fistulam possideat atque alter suam ipse recenti negotio fabricatus sit, et ei deest aliarum praestantia neque merum ludicrum considerandum est, sed quod usui sit instrumentum. Praeterea vix credimus quod dicitur his versibus: puerum duodecim fere annorum tanta fuisse sollertia, ut omnino fistulam pastoralem facere posset,[2]) quod opus postulat artificem prudentissimum, nedum ei in mentem veniret construere syringa contra consuetudinem novem calamorum, cuius quidem nusquam vidisset exemplum. Inconsiderate profecto hi versus (18—24) sunt scripti ab homine qui rerum veritatem ignorabat. Ac paene veremur, ne forte is, quo verba melius in versum caderent, incurrerit in *ἐννεάφωνον*. Hoc quidem Fritzschius quoque recte opinatur, sed parum recte poëtam ipsum tales ineptias sibi permisisse. Ceterum quam male ille interpolator sciverit versus facere, vel ex eo intellegi potest, quod identidem versus aut eosdem repetivit (cf. 11 et 12) aut ita formavit, ut paucis verbis mutatis antecedentes iteraret (cf. 28 et 29), qua re animum legentis specie artis et concinnitatis facile decipere potest. Hanc quidem rationem agnoscimus comparantes vv. 18 et 19 cum vv. 21 et 22, quamquam de v. 22 haesito, utrum librarii culpa iterum scriptus sit, an ab ipso versuum auctore.

Sed maioris momenti est quaerere de initio versus vicesimi (20). Menalcas igitur, postquam fistulam suam laudavit,

---

[1]) Cf. A. Cartault, Étude sur les Bucoliques de Virgile. Paris, 1897.

[2]) Cf. Id. I, 52, ubi *τὸ παιδίον ἀνθερίκοισι καλὰν πλέκει ἀκριδοθήραν.*

addit: *ταύταν κατθείην, τὰ δὲ τῶ πατρὸς οὐ καταθησῶ*, qualem minutis cum variationibus (*καταθείην* p. — *καθείην* Mor. ed. — *κταθείην* B.) libri omnes iique praestantiores versum tradunt;[1]) nihil enim pertinet ad rem scriptura Medicei cod. (p.): *ταύταν καταθείην* negligenter scilicet facta. Videmus igitur optativum potentialem positum sine particula *κεν*, quae, si communem orationis usum sequemur, postulanda est, cui similem dicendi licentiam ad v. 13 in enuntiato relativo supra demonstravimus. Etsi haec potentialis sententiae forma apud Homerum locis nonnullis invenitur, tamen ea usu Theocriteo praesertim in bucolicis carminibus nequaquam probatur. Theocriti quidem loquendi consuetudinem indagantes *κεν* circiter vicies dumtaxat in genuinis idylliis (I—XVIII, XXVIII—XXX) cum optativo potentiali sententiarum quae per se stant coniunctum reperimus, sed ne unum quidem exemplum in bucolicis idylliis, ubi solum optativum in eiusmodi sententiis legamus. Nam in verbis V, 20: *τὰ Δάφνιδος ἄλγε' ἀροίμαν*, quem locum Fritzschius, ut sanciret eum de quo dicimus usum, frustra ascivit, modum mere optativum non possumus non statuere, qualis saepenumero observatur in asseverationibus, ut V, 14—16; V, 150. — Cf. Aristophan. equit. 767 sq. *εἰ δέ σε μισῶ καὶ μὴ περὶ σοῦ μάχομαι μόνος ἀμφιβεβηκώς, ἀπολοίμην καὶ διαπρισθείην τε λέπαδνα.* Itaque *τὰ Δάφνιδος ἄλγε' ἀροίμαν* patrio sermone reddendum est sic: die Schmerzen des Daphnis will ich ertragen (sollen mich treffen), wenn ..., non: 'ich dürfte wohl ertragen'. Neque secus res se habet, cum legimus XXIX, 37 sqq.: *νῦν μὲν κὴπὶ τὰ χρύσεα μᾶλ' ἔνεκεν σέθεν || βαίην καὶ φύλακον νεκύων πεδὰ Κέρβερον* (jetzt wollte ich für dich gehen zu den goldenen Aepfeln und zum Cerberus), a qua asseveratione diversum est, quod subinde adiungitur (vv. 39/40):

τόκα δ' οὐδὲ καλεῦντος, ἐπ' αὐλεΐαις θύραις
προμόλοιμί κε παυσάμενος χαλέπω πόθω.

Cf. G. Hermann. opusc. IV, p. 156.

Itemque id XVI, 67 *ἑλοίμαν* atque v. 64 *εἴη* et v. 65 *ἔχοι* modus proprie optativus sine dubio intellegendus est.[2]) Unum

---

[1]) De apocop. attende usum frequentem apud Homerum et apud Theocr. II, 24. V, 143. XXVI, 34 (*κάτθετο*). Cf. Kuehner l. l. § 42, 4. —

[2]) Cf. verba translata ab Mörike: 'Mag sein Geld sich häufen unendlich, und die Begierde nach mehr ihm rastlos zehren am Herzen, ich

vero exemplum, cui similitudo est cum hoc enuntiato *ταύταν κατθείην* afferre debemus ex id. XVII, 7 sq.: *αὐτὰρ ἐγὼ Πτολεμαῖον ἐπιστάμενος καλὰ εἰπεῖν ὑμνήσαιμ'*. — Attamen cavendum est, ne nimium ex eo ducamus argumentum, quo stabiliatur atque excusetur ille dicendi usus; nam permultum interest inter orationem bucolicorum carminum et eorum, quae epico more condidit poëta, quorum in numero habenda sunt idd. XVI et XVII; neque enim idem in his atque in illis utique valet. — Illa igitur offensione commotus Ahrensius quidem per facilem correctionem scribi voluit: *ταύταν κα θείην*, quod propositum quamvis nobis quoque arrideat (Meinek. in textum recepit, Hartung. et Koechly. probaverunt), tamen, ne accipiamus neve veram existimemus lectionem, impedimur respicientes eiusdem versus extremum *καταθησῶ*, ex quo secundum legem aequabilitatis plus aequo in hoc ipso carmine servatam verisimillimum fit prius quoque non verbum simplex, sed compositum scriptum fuisse, quod libris affirmatur.[1]) Ergo offensio in enuntiato *ταύταν κατθείην* residet et fortasse residebit.[2]) —

Iam porro cum legimus v. 23 sq.: *ἔτι καὶ τὸν δάκτυλον ἀλγέω | τοῦτον, ἐπεὶ κάλαμός με διασχισθεὶς διέτμαξεν*, miramur, quod interpretes recentes aeque ac veteres quidam grammatici, qui bonorum codicum (*k.* m. p.) scripturam *με* depravasse videntur in *γε* (vulg.), in pronomine *με* haesitant parum deliberantes vulgari in sermone, qui est in hoc diverbio, nonnunquam admitti liberiorem dicendi rationem, qualem agnoscimus etiam in verbis (IV, 50 sq.): *ἁ γὰρ ἄκανθα ἁρμοῖ μ' ὧδ' ἐπάταξ' ὑπὸ τὸ σφυρόν* atque ut hic additur *ὑπὸ τὸ σφυρόν*, ita supra *τὸν δάκτυλον τοῦτον* antecedit, ut, quod corporis membrum sit vulneratum, bene percipiatur; neque cum sermo longius producitur *ὡς δὲ βαθεῖαι τἀτρακτυλλίδες ἐντί. κακῶς ἁ πόρτις ὄλοιτο·*

---

will lieber die Ehr' und die freundliche Liebe der Menschen haben, als viele Gespanne u. s. w.' Nonne optatio inest in his sententiis? Illud *ἑλοίμαν* plane eadem vi dicitur atque in V, 20 *ἀροίμαν*.

[1]) Cf. Fritzsch. item iudicantem, quem probat Brinker l. l. p. 25. Cf. etiam in vv. 11 et 12 *καταθεῖναι* — *καταθεῖναι*, in vv. 13 et 14 *θησεύμεσθ'* *θησῶ*, in vv. 15 et 17: *θησῶ* - *θησεῖς*, itaque v. 20 *κατθείην* exspectandum est ad *καταθησῶ*.

[2]) Vide, quomodo G. Hermann. de partic. *ἄν*, l. III, c. 5 in opusc. IV, p. 162 hunc optat. explicare conatus sit. Cf. etiam Krueger. griech. Spr. II, § 54, 3. — Wåhlin. l. l. p. 3, ubi XI, 50 cadit sub V, 20 etc. —

ἐς ταύταν ἐτύπην χασμεύμενος, quidquam ambiguum inest in locutione ἐτύπην perspicua ex sententiarum conexu. Conferri etiam possunt id. X, 54 sq.:

> κάλλιον, ὦ 'πιμελητὰ φιλάργυρε, τὸν φακὸν ἕψειν,
> μή τι τάμῃς τὰν χεῖρα καταπρίων τὸ κύμινον.

Nam μή τι τάμῃς τὰν χεῖρα est: 'ne qua manum inscidas', non 'abscidas', velut Notter nostras versus recte vertit sic:

> „Zeit ist's knausiger Meier, um jetzo Linsen zu kochen;
> „Schneide dich nicht in die Hand, indem du spaltest den Kümmel".

Cf. denique id. X, 4.

Itaque ad Graecum illum dicendi usum propius accedentes etiam verba: ἔτι καὶ τὸν δάκτυλον ἀλγέω κτλ. in linguam vernaculam transferre possumus hoc modo: „noch jetzt thut mir der Finger hier weh, dieweil das geschlitzte Rohr mich geschnitten"; sic enim Germanice quoque bene sine ulla obscuritate dici posse quis est qui negaverit? —

Sed quo minus difficultatis nobis affert pronomen με interpretandum, eo magis offendimur verbo διέτμαξεν, quia compositum verbum pro simplici evidenter totam sententiam quodammodo corrumpit atque insuper parum eleganter cum διασχισθείς coniungitur διέτμαξεν. Contra cf. Homer. Il. XII, 461. Cf. etiam Meinek. l. l. p. 265. Ceterum cum videamus auctorem horum versuum cum studio et opera utentem verbis compositis, quorum loco Theocritus plerumque simplex ponit (cf. ἐσιδεῖν pro θάσασθαι — καταθεῖναι — συνέπαξ' — διασχισθείς — διέτμαξεν — infra: ἐπακοῦσαι — ὑπελάμβανε — ἐξᾶρχε v. 62), ille mea quidem opinione ad nullam aliam rem ea fere adhibuit, nisi ad efficiendos versuum numeros, ubicunque eum verba commoda defecerunt, ut est, ni fallimur, in versu 24.

Haec quidem et talia paene minutius tractata cuipiam fortasse videbuntur, tamen respicienda et pendenda sunt, ut, si fieri possit, quo pacto ille auctor, quibus artificiis, quibus auxiliis, qua opera versus tamquam fabricatus sit, penitus noscamus.

Age iam porro conferamus (v. 25) ἀλλὰ τίς ἄμμε κρινεῖ; cum (id. V, 61) ἀλλὰ τίς ἄμμε τίς κρινεῖ; Quonam alio modo velis explicare hunc apertum consensum verborum sententiaeque satis peculiaris nisi ex imitatione factam? Ribbeckius, vir

doctissimus, ne ita iudicarem, hoc loco me monuit locutiones quasdam fixas et usque redeuntes esse in bucolica poësi. Nimirum hoc est, at multum refert, quales sint illae locutiones et quo loco occurrant. In eo numero habendae sunt formulae quaedam dicendi; ea autem formula illis verbis non continetur. Neque silentio est praetereundum ut apud omnes poëtas, qui ampliora scripta in lucem dederunt (ut apud Horatium sexies singuli versus repetuntur), ita etiam apud Theocritum non modo partes versuum, sed etiam versus totos locis diversis carminum iterum occurrere. Cf. apud Th. partes versuum repetitas: I, 38 = VII, 48; I, 58 = V, 53; II, 19 = XI, 72; XIII, 32 = XXII, 32 et totos versus:

I, 13 = V, 101; III, 20 = XXVII, 4.

In versu tamen III, 20 continetur sententia communis, ut mirum non sit eandem eadem forma ab auctore c. XXVII[1] usurpatam esse atque versu I, 13 describitur a Theocrito locus quidam, cuius, ut mihi quidem videtur, cum ille alicubi in terra patria eum vidisset, poëtae carmina diversis temporibus componenti semel atque iterum in mentem venisse verisimile est, itaque facile, ut eandem regionem iisdem verbis (I, 13 et V, 101) adumbraret, ei accidere potuit. Atque praeter eos segregandos esse puto etiam locos hos: VI, 41 = X, 16, quia VI, 41 et deest in optimo libro Theocriteo (*k*) et eo ipso loco supervacaneus videtur esse, ut ex decimo carmine nescio quo pacto illatum esse sexto credibile sit; deinde VIII, 77 = IX, 7, quia v. VIII, 77 apertissime turbans aequum versuum ordinem forte translatus est ex id. IX; ceterum exstat idem versus in eis carminibus, de quibus adhuc sub iudice lis est; itemque separo dimidias partes versuum III, 25 = V, 15 et XVIII, 46 = XXII, 76 ut parum insignes; denique XIII, 32 = XXII, 32 haud ita multum valet ad rem, quoniam id. XXII incerti aucloris est. In censum igitur veniunt apud Th., si accurate exempla perpendimus, unus versus totus (I, 13 = V, 101) et tres versus ex aliqua parte repetiti, quae certe non est magna copia exemplorum. Quibus allatis etiam nunc difficilius haec de qua dicimus imitatio (v. 25) defenditur, si modo potest defendi; nam cum ipsa ratio certaminis instituendi in idd. V et VIII consimiliter sit comparata, eo magis poëta bonus, ne omni varietate careret, fugere debuit usum earundem locutionum et

sententiarum. In ceteris autem carminibus nusquam apud Theocritum talem exilitatem artis et orationis noscimus, sed contra ingenium, diligentiam, sollertiam eius poëtae admiramur. Est igitur inter hoc et illa cetera idyllia discrepantia scribendi, quae porro etiam magis apparet. — Ut enim in quinto carmine pastores certaturi de principatu artis canendi advocant arbitrum certaminis *ἄνδρα δρυτόμον*, ita in octavo Daphnis et Menalcas, ut *αἰπόλον* vocent, inter se constituunt id quod versibus 26 et 27:

τῆνόν πως ἐνταῦθα τὸν αἰπόλον ἢν καλέσωμες,
ᾧ ποτὶ ταῖς ἐρίφοις ὁ κύων ὁ φάλαρος ὑλακτεῖ.

comparatis cum V, 44 sq.:

ἀλλά τὸν ἄνδρα,
αἴ λῇς, τὸν δρυτόμον βωστρήσομες, ὃς τὰς ἐρείκας
τήνας τὰς παρὰ τὶν ξυλοχίζεται

utroque loco simili ratione fieri iam non miramur, quoniam supra nobis de eadem re satis monendum fuit. Tum in oratione ipsa invenimus quod detractemus. Primum Atticum illud *ἐνταῦθα* (v. 26) non est Theocriteum; legimus enim apud Th. eius loco *τεῖδε* septies (I, 12. V, 32. 50. 67. 118. VIII, 40. XV, 118), *ὧδε* saepius (I, 151. III, 57. IV, 51. V, 44. 62 etc.), praeterea identidem *ἔνθα, ἐνθάδε, τουτεῖ, τηνεῖ*, sed nusquam *ἐνταῦθα* nisi hoc loco observatur. — Nemo adhuc negotium molestum et operosum suscepit, ut eo consilio ac ratione carmina poëtae perscrutaretur;[1] itaque fit, ut nonnunquam ipsi doctissimi viri in falsis de dialecto Theocritea opinionibus versentur.

Idem quod modo de *ἐνταῦθα* diximus, cadit in particulam *ἤν* (v. 26) omnium librorum consensu traditum; prorsus enim abhorret a Theocriteo dicendi usu. Cf. Brinker. l. l. p. 25, qui eam rem paucis demonstravit. Verum omnibus in genuinis idylliis maximeque in bucolicis mimicisque, quae dorica dialecto aperte scripta sunt, non *ἤν*, sed semper doricum illud *αἴ κα* vel *αἴ κε* (*εἴ κε*) atque id quater decies positum videmus, praeterquam quod *ἤν* in XII, 25 exstat, in quo tamen carmine ut scripto ionica dialecto (cf. hypoth.) nimirum *ἤν* vel verissimum

[1]) Rumpelii Lexic. Theocr. (Lips. 1879) etiamnunc praebet bonum, at non ubique fidele auxilium. Idem cadit in Wahlini libellum (cf. p. 26[1]), quem nuperrime demum inspicere potui. —

est perinde atque apud Homerum. Quod vero in VII, 106 *κῆν* vulgo traditur, ex eiusdem enuntiati optativo *ἔρδοις* (quae forma quamquam variatur, bonis tamen codicibus *k* et *p* exhibetur), quocum *κῆν* coniungi nequit, facile intellegitur *κῆν* esse corruptam scripturam, quae cedat oportet variatae *κεὶ* (sic autem legitur in cod. *s* nunnunquam praebente bonas scripturas et in deteriore cod. F.), quod verum esse iam luce clarius fit ex sententia (v. 109) *εἰ δ' ἄλλως νεύσαις* contraria huic (v. 106) *κεὶ μὲν ταῦτ' ἔρδοις*, ut Ahrensius et Hiller iure in textum id receperint. Attamen in spuriis vel addubitatis carminibus *ἦν* haud ita inusitatum est; nam legitur in id. XXVII ter. in id. XXIII bis, in id. XX semel (cf. epigr. IV, 15 et XXI. 4).

In proximo versu (27), etsi non multum refert, utrum *ὁ κύων ὁ φαλαρός* scribamus an *ὁ κύων ὁ Φάλαρος*, tamen monendum est idem nomen in V, 103 arieti, ut videtur, datum esse neque sine causa Valckenarius (cf. ap. Hermann. op. V, p. 85) scripturam *ὁ κύων ὁ Φάλαρος* alteri anteferens vituperavit, quod nomini *ὁ Φάλαρος* apponitur *ὁ κύων*, quae vox apposita, cum sit contra rationem et poëtae consuetudinem, rectius abesse potuit item atque in v. 64: *ὦ Λάμπουρε κύον*. Cf, I, 151. IV, 45. 46. V, 101. 102. 147. Verg. ecl. VIII, 107.

Iam post versum 27 colloquio puerorum intermisso narratio, quae est initio carminis, nulla necessitate restituitur, de qua re quid dicendum esset, supra (cf. p. 25) expositum est. Quinque autem versus qui inde sequuntur (28—32) plerisque interpretibus criticisque adeo displicuerunt, ut alii omnes quinque, alii singulos suspectos habentes tamquam spurios deleri voluerint. Cf. Fritzsch. ad v. 30. 31—32. Qui versus quam exiles atque asperi, quam expertes sint consilii rationisque, vix opus est verbis demonstrare, quoniam qui gnarus est cum Graecorum tum Theocriti artis poëticae, in ipsa lectione, ut mihi videtur, offensiones varias eorum non sentire non poterit. Neque enim verborum concentus congruens procreatus versibus 28 et 29:

Χοὶ μὲν παῖδες ἄυσαν, ὁ δ' αἰπόλος ἦνθ' ἐπακοῦσαι
Χοὶ μὲν παῖδες ἄειδον, ὁ δ' αἰπόλος ἤθελε κρίνειν

admirationem cuiusquam excitat, nisi forte eius, qui omnem vim et artem talis dicendi figurae cernat in mera verborum repetitione nec curet bonam iisdem inicere mentem. Nam sen-

codicis s. Quamquam medium θησεύμεσθα minime offendere contra Meinekium l. l. p. 476 et Brinkerum l. l. contendimus, quia interpretandum est: ‚quod praemium nobis deponemus', quae vis in sequentium versuum formis θησῶ, θησεῖς etc. aperte non inest, tamen numeri versus sunt magna asperitate et insolentia. Cf. Meinek. l. l. p. 476: ‚neque spondeus in quarto pede defendi potest'; similiter iudicant Hiller l. l. et Brinker l. l. p. 19 et 24. Cf. etiam Kunst. l. l. p. 55 sqq.; exemplorum tamen, quae ibi collecta videmus (in quibus spondeus pedis quarti insequente incisione legitur), nonnulla segreganda putamus, ut I, 6. 130 alia. Eodem accedit, ut si poëtam ipsum de re percontemur, in enuntiato relativo particula κεν requirenda videatur, tametsi non abundant eius generis exempla; inveniuntur enim haec: in genuinis idd.: VII, 100 ἐσθλὸς ἀνήρ, μέγ' ἄριστος, ὃν οὐδέ κεν αὐτὸς ἀείδειν | Φοῖβος σὺν φόρμιγγι παρὰ τριπόδεσσι μεγαίροι. XII, 14 ὥς κεν ὁ Θεσσαλὸς εἴποι, in ceteris idd.: XXII, 64 ἄργυρος ἤ τίς ὁ μισθός, ἐρεῖς, ᾧ κέν σε πίθοιμεν; (attende hoc exemplum, in quo sententia huic simillima simili modo effertur). XXV, 49 σύ μοι φράσον — ὅστις ἐπ' ἀγρωτῶν γεραρώτερος αἰσυμνήτης, ᾧ κε τὸ μὲν εἴποιμι. Cf. XXV, 61.[1]) — Itaque fortasse prudentissimum est reverti ad scripturam Ambrosiani (k) et Vaticani (m) — Medicei (p) scriptura non multum differt a codice s —, ut sit altera versus pars ὅστις χ' ἁμῖν ἄρχιος εἴη et in priore restet unus verbo inserendo dactylus. Sed hic haeremus; nam neque traditum θησεύμεθ' quadrat in numeros neque dicere possumus, quae alia verbi forma versui accommodetur. Verum quidem cogitari non debet, si qua in mentem veniat alicui, de formis θήσομεθ' vel θήσομεν prorsus alienis a dialecto Theocritea. An versificatorem id re vera fefellit? Denique unum reliquum est, quod miramur in versu. Ex vocibus enim τίνα — ὅστις — ἄρχιος apparet ἄεθλος (pro ἄεθλον) praemium certaminis in versibus qui antecedunt intellegendum esse; contra hunc vocis usum pugnant duo loci: id. I, 3: μετὰ Πᾶνα τὸ δεύτερον ἆθλον ἀποισῇ et id. XXII, 70

[1]) Quod licet Homero, non semper licuit Theocrito; cf. Il. V, 303. XXIII, 494. Ad Homeri exemplum compositum est id. XXV, itaque v. 219: ὅντιν' ἐροίμην. — Locus id. XV, 94: μὴ φύη Μελιτῶδες ὃς ἁμῶν καρτερὸς εἴη πλὰν ἑνός aliquatenus probat l. id.[i] VIII[i]; sed in illo enuntiato relat. copulantur duae verborum constructiones. — Cf. Wåhlin. l. l. p. 19. —

ἄρξατο πρᾶτος (v. 32) est mera molestaque tautologia enuntiati *πρᾶτος δ' ὦν ἄειδε — Μενάλκας* (v. 30). Neque dubium est, quin nulla obscuritate orationis tres versus 29, 31, 32 abesse possint, cum duo versus 28 et 30 menti sententiaeque satisfaciant. — Profecto his quinque versibus ineptiarum tamquam cumulus affertur ac, si quis nihilominus in iis ullam artem vel ullum poëtae spiritum percipiat, de eius aequitate iudicandi desperamus.

Sed, ne quid neglegamus, reliquum est, ut paucis explicemus, quam artem auctor adhibuerit ad modulandos versus. In hanc rem versus 1—32 examinantes observamus eosdem inferiores esse reliquis carminibus genuinis. Ad ea enim, quae supra nobis animadvertenda fuerunt de vv. 10, 13, 14 15, accedunt aliquot formae versuum rariores, quas Kunstium (l. l.) secuti repraesentemus hac tabella:

forma	v.	3	et	21	exstat	in	buc.	carm.	3,5 %
„	„	9	„	23	„	„	„	„	3,6 %
„	„	11	„	12	„	„	„	„	4,8 %
„	„	13	„	32	„	„	„	„	3,7 %
„	„	24			„	„	„	„	2,7 %
„	„	30			„	„	„	„	4 %.

Itemque prae ceteris integris idylliis in hac parte caesura quae vocatur bucolica[1]) rarior praebetur, quae cum plerumque centenorum versuum tertiam fere partem occupet, in his duobus et triginta versibus quinquies circiter profertur, ut dimidio minor, quam fere fieri solet, numerus sit versuum caesura bucolica instructorum.

Quodsi animo comprehendimus ea, quae adhuc explanata sunt, et nobiscum reputamus tot omnis generis offensiones vel vitia horum 32 versuum, deinde totam argumenti expositionem non ingeniose inventam, sed institutam ad exemplum partim quinti partim sexti idyllii, tum orationem non novam, sed exornatam hic illic frustulis Theocriteis, non vigentem, sed maxime languentem, porro mixtum illud ex diverbio et narratione genus

---

[1]) Non omnis caesura post quartum pedem nominanda est caesura bucolica, sed si ea est caesura primaria, praesertim si interpunctio simul incidat sententiam; itaque in v. 32 post *Μενάλκας* non est caesura bucolica, ut creditur. —

componendi, denique numeros versuum minus faciles, nonnunquam intolerabilibus licentiis inquinatos, iam ex his rebus omnibus redundat unum hoc iudicium: versus 1—32 non sunt poëtae Syracusani.

Iam a versu 33 orditur carmen elegiacum a pueris alternis canendum, quod pertinet usque ad v. 60. Cuius naturam atque indolem ut spectemus, commodum erit aliam ac supra inquirendi rationem et viam sequi; neque igitur versum post versum pertractantes, sed universum magis illud considerantes rem explicare conabimur. Qua de causa utile est adscribere totum ut est traditum carmen alternum:

ΜΕΝΑΛΚΑΣ.

33 *Ἄγκεα καὶ ποταμοί, θεῖον γένος, αἴ τι Μενάλκας*
πήποχ' ὁ συριγκτὰς προςφιλὲς ᾆσε μέλος,
βόσκοιτ' ἐκ ψυχᾶς τὰς ἀμνάδας. ἢν δὲ ποκ' ἔνθῃ
Δάφνις ἔχων δαμάλας, μηδὲν ἔλασσον ἔχοι.

ΔΑΦΝΙΣ.

37 *κρᾶναι καὶ βοτάναι, γλυκερὸν φυτόν, αἴπερ ὁμοῖον*
μουσίσδει Δάφνις ταῖσιν ἀηδονίσι,
τοῦτο τὸ βουκόλιον πιαίνετε. κἤν τι Μενάλκας
τεῖδ' ἀγάγῃ, χαίρων ἄφθονα πάντα νέμοι.

Μ.

41 *παντᾷ ἔαρ, παντᾷ δὲ νομοί, παντᾷ δὲ γάλακτος*
οὔθατα πλήθουσιν, καὶ τὰ νέα τρέφεται,
ἔνθ' ἁ καλὰ παῖς ἐπινίσσεται. αἰ δ' ἂν ἀφέρπῃ,
*χὠ ποιμὴν ξηρὸς τηνόθι χαἱ βοτάναι.**)

Δ.

45 *ἔνθ' ὄις, ἔνθ' αἶγες διδυματόκοι, ἔνθα μέλισσαι*
σμήνεα πληροῦσιν, καὶ δρύες ὑψίτεραι,
ἔνθ' ὁ καλὸς Μίλων βαίνει ποσίν· αἰ δ' ἂν ἀφέρπῃ,
*χὡ τὰς βῶς βόσκων χαἱ βόες αὐότεραι.**)

Μ.

49 *ὦ τράγε, τᾶν λευκᾶν αἰγῶν ἄνερ, ὦ βάθος ὕλας*
μυρίον, ὦ σιμαὶ δεῦτ' ἐφ' ὕδωρ ἔριφοι·

---

*) Hoc asterisco notati vv. sunt transmutandi. —

ἐν τήνῳ γὰρ τῆνος· ἴθ' ὦ κόλε καὶ λέγε· Μίλων,
ὁ Πρωτεὺς φώκας καὶ θεὸς ὢν ἔνεμεν.

Vitetur deesse antistropha Daphnidis.

M.¹)

53 μή μοι γᾶν Πέλοπος, μή μοι Κροίσεια τάλαντα
εἴη ἔχειν, μηδὲ πρόσθε θέειν ἀνέμων·
ἀλλ' ὑπὸ τᾷ πέτρᾳ τᾷδ' ᾄσομαι, ἀγκὰς ἔχων τυ,
σύννομα μᾶλ' ἐσορῶν, Σικελικὰν ἐς ἅλα.

Duae videntur strophae deesse, altera antistropha Daphnidis, altera stropha Menalcae.

Δ.

57 δένδρεσι μὲν χειμὼν φοβερὸν κακόν, ὕδασι δ' αὐχμός,
ὄρνισιν δ' ὕσπλαγξ, ἀγροτέροις δὲ λίνα,
ἀνδρὶ δὲ παρθενικᾶς ἁπαλᾶς πόθος· ὦ πάτερ ὦ Ζεῦ,
οὐ μόνος ἠράσθην· καὶ τὺ γυναικοφίλας.

Qui obiter hoc carmen perlegerit, sentiet magnopere id decurtatum et commutatum esse neque conspici a nobis eius pristinam et genuinam formam.

Alienum est a proposito nostro diligentius, si modo fieri potest, quaerere ac demonstrare, quomodo hoc carmen et quantam iacturam libris manu scriptis per tempora fecerit; satis est supra in descripto carmine denotasse, quibus locis aliquid deficere videretur. Sed consideremus — quantum attinet ad nostrum consilium — ea quae tradita sunt.

Primis igitur strophis duabus (33—36, 37—40) commode se excipientibus duae quae sequuntur, tertia (41—44) et quarta (45—48), cum probabili dispositione carere videantur, satis magnam attulerunt dubitationem criticis, ut vv. 41—43 et 45—47 transponerent auctore viro docto, qui anno 1803 in ephem. Gothan. nr. 22 rem proposuit, postquam ante hunc Bindemannus (a. 1793) in carminibus Germanice translatis eam transpositionem fecerat; quam etsi a doctissimis et Theocriti peritissimis viris: Ahrensio, Hillero, Fritzschio, Meinekio, Zieglero sine ulla dubitatione probatam et acceptam videmus, tamen

---

¹) Hoc tetrastichon in codd. vulgo tribuitur Daphnidi, sed falso. —

nos quidem eandem examinantes ratam ducere non potuimus. — Ac primum quidem cum in eiusmodi transpositionibus sive a librario sive a grammatico aliquo factis semper fere dispicere possimus, qua ratione vel quo mendo eae sint ortae, hoc loco, si illorum transponendi modum comparemus, non possumus. Etenim tetrastichon *παντᾷ ἔαρ κτλ.* non sine arte antecedentis versus *πάντα* excipiens speciem habet liberioris inventionis, quae est Menalcae, ut prioris cantoris, et tetrastichon *ἔνθ' ὄις κτλ.* percommode illud *ἔνθ'* strophae antecedentis (43) recipiens magis imitationis, quae est Daphnidis, ut sequentis cantoris. Atqui ex reliquo carmine colligitur Menalcam amore captum esse erga Milonem puerum, Daphnim erga puellam pulchram. At his quidem strophis, ubi Menalcas puellam, puerum Daphnis praedicet, nonne irrita fit illa sententia? An primum versuum ordinem, cum carmina etiam atque etiam describerentur, re vera turbatum esse putamus? Immo codicibus verum ordinem exhiberi arbitramur, praeterquam quod soli versus 44 et 48, quibus pervertatur ea quam volumus cogitatio, inter se transmutandi sunt; in his quidem patet facillime librarium errare potuisse, quoniam utrique versui antecedunt eadem verba: *αἰ δ' ἂν ἀφέρπῃ* atque ipsi etiam ab eadem vocula *χὠ* incipiunt sententiaeque eorum, si extrinsecus modo aspiciuntur, tam similes sunt, ut alter versus pro altero per errorem legi et describi potuerit, nisi forte grammaticus vetus dedita opera eos transposuit, propterea quod *χὠ ποιμήν* ad Menalcam, *χὠ τὰς βῶς βόσκων* ad Daphnim ceteroqui melius quadraret. Duobus igitur versibus 44 et 48 inter se transpositis sententiae stropharum tertiae et quartae ita structae sunt, ut alteruter de pastoribus alteri laudet res gratissimas, cum naturae ubertatem locorumque amoenitatem tum alterius delicias et amorem.[1]) Ac cum ita faciunt pastores, praeter exspectationem eorumve naturam non fieri contra Meinekium contendimus. Videmusne, ut etiam in primis duabus strophis simili modo uterque alterius gratia a natura agrorum fertilitatem pabulique copiam exoptaverit? Iam

---

[1]) Cf. Fairon l. l. p. 239 an. 1. — qui v. d. duos ultimos utriusque strophae versus transmutandos proponit et addit: «Les paroles de Menalcas sont alors une allusion ironiqne aux amours de Daphnis». Sine ratione diligentiave v. d. non a codicum scriptura proficisci, sed transmutare videtur denuo versus iam transpositos. Aliter verba eius vacant mente. —

facilius intellegitur illud χὠ ποιμήν — τηνόθι (= istic, der Schafhirt dahier) et χὠ τὰς βῶς βόσκων, cum alter alterum apte sic demonstret, quam si Menalcas de se ipse praedicet χὠ ποιμήν — τηνόθι tumideque Daphnis χὠ τὰς βῶς βόσκων. Attamen multo magis carmen elegiacum in altera et sequente parte videtur corruptum esse. Nam et tetrastichon ordiens a verbis μή μοι γᾶν κτλ. non Daphnidi, ut traditur, sed Menalcae propter verba σύννομα μᾶλ' ἐσορῶν dandum esse et concinnitatem in primis strophis quam diligentissime servatam[1]) respicientes cum Zieglero persuasum habemus plus uno tetrasticho excidisse sicuti supra designavimus.

Sed ea quae tradita sunt ad eam quam nobis proposuimus rem disceptandam sufficiunt. Quodsi quis animo non praeoccupato accesserit ad quaestionem, is sola ea re, quod carmen elegis compositum versibus heroicis insertum est atque inclusum, licet hoc novum inusitatumque sit, profecto ne commoveatur, ut elegos poëtae abiudicet. De hac quidem re cum neque Isaacus Monachus, qui obiter memorat versus hos elegiacos (cf. apud Bachmann. anecd. Gr. II p. 187: ἐποίησε δὲ καὶ ὁ Θεόκριτος ἐν εἰδυλλίῳ τινὶ τοιαύτην ᾠδὴν οὕτως (ἡρωελεγεῖον) ἐπονομαζομένην· διὸ καὶ οὐδὲ παρ' ἡμῶν πλατύτερον εἴρηται περὶ τούτου), nos iuvet atque aliis veterum testimoniis deficientibus ne ii quidem, quorum doctrina scholiis propagatur, nobis quidquam proficiant, experiri cogimur, si quid enucleare possimus ex ipso carmine.

Atque de eo protinus tres quas exploratas habemus sententias ponamus, primam: carmen elegiacum non quadrat in expositionem cogitationemque animo conceptam ex reliquo carmine; alteram: qui elegos composuit, non potest esse Theocritus; tertiam: iidem ne ab eo quidem, qui vv. 1—32 scripsit, conditi existimandi sunt, quas sententias certas stabilesque esse nunc deinceps demonstremus.

Primum igitur, si unus idemque poëta totum carmen octavum conscripsit, reprehendendus est, quod pueros, qui parum exercitati sint arte canendi et ex tempore componendi, facit

---

[1]) De ea re lepide dicit Couat. l. l. p. 415: «La symétrie de ces vers est telle que l'on croirait vraiment entendre le même air répété par deux instruments. La première voix semble défier la seconde, et celle-ci, pour chaque nouveau motif, est comme l'écho triomphant de la première.» —

certantes versibus elegiacis iisque etiam ad tetrasticha coniunctis, quales strophae, videlicet cum difficilius conformentur quam simplices versus heroici bini copulati (ut fit in id. V et post in hoc quoque idyllio), ab iis quidem, qui consuetudine et exercitationis assiduitate eam artem non mediocriter solum, sed quam maxime didicerunt, non a pueris (Daphnide et Menalca) eiusdem imperitis ex tempore pangi solent. Quid? quod Menalcas et Daphnis in carmine elegiaco, in quo suas res canendo celebrant, non ut oportuit pueros se praebent, sed adulescentes aetate multo provectiores vel prope iuvenes. Pueri enim nondum ita Veneri servire solent, ut hi pastores, qui amatores se profiteantur ardentes alter in Milonem puerum, alter in puellam pulchram, sed puerorum animi aliis rebus potius delectantur quam amore ac voluptate. Agite vero exempli gratia considerate, ut Theocritus in id. I, 47 sqq. simplicem et integrum pueri animum vere festiveque depinxerit! Atque etiam si quis huic rei non satis momenti attributurus sit, Daphnis quidem in v. 59 aperte cum viro (*ἀνδρί*) se comparat.[1]) — Denique eundem Daphnim, qui elegiacis versibus se lascivum puellarum amatorem praestiterit, in altera quae additur cantilena hominem cognoscimus timidum et pudibundum, qui cum a puella amante ipsum, cuius animum ad se ipsam vertat, formosus cum petulantia pronuntietur, erubescens oculos humi deiciat. Tanta igitur discrepantia nascitur ex his rebus, ut iure ratiocinemur elegos principio ortos esse ex diversa et longe alia poëtae mente et cogitatione atque reliquum idyllium maximeque exordium.[2])

---

[1]) Cf. Hermann. op. V, p. 87.

[2]) Cf. Fairon. l. l. 239: «On pourrait, à la rigueur, répondre, comme Buecheler que la contradiction provient surtout des lacunes qui séparent les deux morceaux.» Futilis est haec opinio. Vir doctus porro dicit: «Nous ne nierons pas l'opposition qu' il y a entre les deux séries de couplets — elle ne prouve rien contre l'authenticité de l'idylle.» Sane obscurum iudicium, praesertim cum idem v. d. p. 238 dixerit: «Nous croyons en effet que la huitième idylle est formée de longs fragments d'une œuvre pimitive de Théocrite, qu'un grammairien postérieur a reliés par des vers de sa composition.» Ergo conceditur idyllium non incorruptum esse. Denique committitur a v. d. confusio mira neque toleranda his verbis: «Si donc Ménalcas apparaît à la fois comme un amant passionné et comme un chaste éphèbe, c'est par calcul, c'est pour surprendre Daphnis.» Confunduntur enim pastorum personae, ut tota sententia pervertatur.

Neque vero defuerunt viri docti, qui alii alia ratione res inter se repugnantes excusare et diversas concinnare studerent, sed frustra studerent. Longum est omnia, quae illi in medium protulerunt, verbis persequi (cf. Hiller. ad v. 45 et Buecheler. l. l. p. 352); unum tamen quod plus videtur habere auctoritatis ne praetermittamus: Aug. Wissowa[1]) quidem defendendi causa cum alia tum haec: ‚in eiusmodi carminibus, inquit, pleraque non ex ipsa cantantium vita esse repetita, sed lusus et animi causa ultro fingi et excogitari'. Qua sententia offensiones quas perstrinximus aliquantum tollerentur, nisi ea esset falsa. Nam pastores in certaminibus ea quae versibus ex tempore dicunt ex sua vita suisque rebus sumere et rei natura evincitur et exemplis[2]) discimus. Quod idem in hoc potissimum carmine fieri per singulas strophas potest ostendi. Nonne igitur in prima et secunda stropha pastores sua ipsorum nomina pronuntiant petentes a natura, ut ubertatem pabulumque gregibus suis alendis largiatur, non in tertia et quarta uterque cum naturae oblectamenta tum alterius laudat delicias, non in quinta Menalcas ipse compellat caprum suum, virum gregis, et haedos, non in sexta pastor de se ipse narrat, cum dicit *μή μοι . . . εἴη* et *ᾄσομαι* seque spernentem divitias acquiescere velle in cantu, amore, grege suo, non denique in septima stropha Daphnis verbis *οὐ μόνος ἠράσθην* se ipsum perhibet? Quid? Wissowae et eorum, qui similiter iudicant, sententia num clarius redargui potest? — Neque quod Menalcas (vv. 49 sqq.) apparet caprarius, accommodari videmus ad primum hoc carmen, in quo ille producitur opilio (cf. v. 2 *μᾶλα νέμων* et v. 9 *ποιμὴν εἰροπόκων ὀΐων*), de qua discrepantia insigni et memorabili postea fusius nobis dicendum erit.

Quaeramus nunc, utrum Theocritus sit auctor elegiaci carminis necne. Et primo aspectu hos versus non modo multo artificiosius et numeris et argumento structos esse quam vv. 1—32, verum etiam admodum distinctos lepore aliquo atque elegantia, ut digni videantur Theocrito, libenter concedimus[3]).

---

[1]) Theocr. Theocriteus, diss. Vratisl. 1828, p. 43.

[2]) Hoc comprobatur idd. V et X; in id. VI vulgares cantilenae referri videntur; reliqua idyllia non habent alterna praeter id. IX, de quo tamen quaerendum est. —

[3]) Cf. Couat. l. l. p. 414 sq. — Buecheler, Jahrb. f. Phil. 1860, p. 347 sqq.

Sed ne nimis creduli simus bellissimo dictionis colori, impedimur vestigiis quibusdam detectis, quibus carmini fides Theocriteae originis abrogatur. De qua re quaesituri proficiscimur a duabus particulis ἤν et ἄν, quae singulae bis positae in hoc carmine maximae offensioni sunt non ignaro sermonis poëtae. Nam idem quod supra (p. 40) de ἤν demonstravimus, in ἄν quoque valet, pro qua particula utique aliena ab oratione Theocriti ipse ubique posuit κε et eius formas variatas κεν, κ᾿, χ᾿ easque duodesexagies et κα quinquies, nisi quod ἄν invenitur in duobus ipsis idylliis VIII et IX (24), quae tractamus tamquam suspecta; in ceteris carminibus genuinis (I—XVIII) observantur tres loci incerti, quos consideraturi sumus. At in dubiis idylliis praevalente tamen in his quoque particula κε aliquoties ἄν legitur (cf. ll. XXI, 34; 59. XXII, 62. XXIII, 35; 41. XXIV, 114. XXV, 82; 347), sed in idd. XXVI—XXX ἄν nusquam praebetur.

Iam de incerto primo loco, qui est in idyllio XVI Hieroni dedicato, breviter disceptabimus. Cuius carminis etsi tribus aliis locis κε legitur, duobus in versibus 48 et 54 editores recentes scriptura non constante plerique ἄν receperunt, sed parum recte, ut nobis tentantibus locum visum est. Fluctuante enim lectione versus 48 inter ἄν (vulg.) et ἄρ (p), versus 54 inter δ᾿ ἂν ὑφορβός (k. Med. Ald. Iunt.) et δ᾿ ἂν ὁ φορβός (a.p.) et δ᾿ ὁ συφορβός (m. s. Call.) quaeritur, quae sit utroque loco commodissima vel verissima scriptura; Ambrosiani enim codicis (k) auctoritas, quamquam is liber est omnium praestantissimus, tam magni aestimari non debet, ut eius scripturae, si modo fieri potest, utique sine omni dubitatione accipiantur. Atque hoc loco lectiones quae ἄν non exhibent, dico ἄρ et δ᾿ ὁ συφορβός, et traduntur atque defenduntur ipsae quoque bonis libris neque minus bene intelleguntur, quam si ἄν scribitur. Et eaedem etiam probabiliores videbuntur simul atque omnem locum inspiciemus et respiciemus. Tripartita enim verborum continuatione (v. 40—57) poëta illustravit sententiam hanc: memoria gloriaque hominum qui priscis temporibus excellentes fuerunt plurimorum iam diu oblivione obruta esset, nisi praecones virtutum illi invenissent Simonidem, Homerum, alios poëtas praeclaros. Cuius unumquodque membrum aequabile et per se stans structum est ex protasi et apodosi ordine com-

mutato, protasi ab εἰ μὴ incipiente; sed cum prima apodosis careat particula ἄν, non solum, quod in proximis membris duobus eandem anquiramus, non habemus, verum etiam de aequabilitate membrorum vetari videmur eam omnino ponere. Cum igitur insuper ἄν in vv. 48 et 54 parum constanter traditum sit atque perbene legatur τίς δ' ἄρ ἀριστῆας Λυκίων ποτέ cumque in tertio colo (51—57) prior sententia δηναιὸν κλέος ἔσχεν (54) omittat ἄν, ut in altera ἐσιγάθη δ' ὁ συφορβός (sic Meinek. quidem scribi vult) idem eo minus sit postulandum, ex his omnibus rebus, si non certissime, at summa cum verisimilitudine sequitur, ut ἄν neutro in versu initio exstiterit. Ac similiter, sed simplicius res se habet duobus aliis locis XVIII, 25 et XI, 59, quorum prior vulgo traditur ita: τᾶν οὐδ' ἄν τις ἄμωμος, ἐπεὶ χ' Ἑλένα παρισωθῇ. Hic igitur ἄν displicet, ut praecise dicamus, primum quod in eodem carmine ter scriptum est κεν, χ', κα, tum quod omnino non necessaria est ea particula, qua potius sententiae vis debilitatur, quapropter Meinekius (p. 323) et Buecheler huic loco ἄν delentes emendationem intulerunt mihi quidem non probatam, tertium quod ceterae sententiae similiter structae carent ea particula (cf. vv. 32, 33, 34, 35), quartum denique emendatio loci facillime perfici potest, si scribimus τᾶν οὐ Δάν τις, quod exstat in ed. Mediol. (cf. etiam οὐ Δᾶν in IV, 17 et VII, 39) vel οὐ μάν τις (cf. v. 35 οὐ μάν οὐδὲ λύραν τις) vel τᾶν οὐδ' ἤν τις. Ahrensius accepit οὐ Δᾶν, quod mihi quoque maxime arridet. — Neque magis credibile est in XI, 59 vulgo edito:

ὥστ' οὐκ ἄν τοι ταῦτα φέρειν ἅμα πάντ' ἐδυνάθην

primo ἄν fuisse. Quid? poëtam septies κεν (κα) in eodem idyllio scribentem hoc uno loco nulla necessitate coactum ἄν praetulisse usitatis particulae formis? Scribendum est potius οὔ κέν τοι. Ceterum eius versus sententia Ahrensium quidem ita videtur offendisse, quem eiceret, cuius rationis sane non est causa.

Qua re explicata compertum habemus Theocritum usum formae ἄν in idd. I—VII et X—XVIII omnino repudiasse. Quodsi in versibus elegiacis ἤν et ἄν certissime exhibentur non verisimile est Theocritum eos composuisse[1]).

[1]) Etiam apud Legrand. eae dicendi consuetudines (ἤν — ἄν — ᾠδα — ὤν) magnum habent pondus ad iudicandum, cf. l. l. p. 14. —

sententiarum. In ceteris autem carminibus nusquam apud Theocritum talem exilitatem artis et orationis noscimus, sed contra ingenium, diligentiam, sollertiam eius poëtae admiramur. Est igitur inter hoc et illa cetera idyllia discrepantia scribendi, quae porro etiam magis apparet. — Ut enim in quinto carmine pastores certaturi de principatu artis canendi advocant arbitrum certaminis *ἄνδρα δρυτόμον*, ita in octavo Daphnis et Menalcas, ut *αἰπόλον* vocent, inter se constituunt id quod versibus 26 et 27:

τῆνόν πως ἐνταῦθα τὸν αἰπόλον ἦν καλέσωμες,
ᾧ ποτὶ ταῖς ἐρίφοις ὁ κύων ὁ φάλαρος ὑλακτεῖ.

comparatis cum V, 44 sq.:

ἀλλά τὸν ἄνδρα,
αἴ λῇς, τὸν δρυτόμον βωστρήσομες, ὃς τὰς ἐρείκας
τήνας τὰς παρὰ τὶν ξυλοχίζεται

utroque loco simili ratione fieri iam non miramur, quoniam supra nobis de eadem re satis monendum fuit. Tum in oratione ipsa invenimus quod detractemus. Primum Atticum illud *ἐνταῦθα* (v. 26) non est Theocriteum; legimus enim apud Th. eius loco *τεῖδε* septies (I, 12. V, 32. 50. 67. 118. VIII, 40. XV, 118), *ὧδε* saepius (I, 151. III, 57. IV, 51. V, 44. 62 etc.), praeterea identidem *ἔνθα, ἐνθάδε, τουτεῖ, τηνεῖ*, sed nusquam *ἐνταῦθα* nisi hoc loco observatur. — Nemo adhuc negotium molestum et operosum suscepit, ut eo consilio ac ratione carmina poëtae perscrutaretur;[1]) itaque fit, ut nonnunquam ipsi doctissimi viri in falsis de dialecto Theocritea opinionibus versentur.

Idem quod modo de *ἐνταῦθα* diximus, cadit in particulam *ἤν* (v. 26) omnium librorum consensu traditum; prorsus enim abhorret a Theocriteo dicendi usu. Cf. Brinker. l. l. p. 25, qui eam rem paucis demonstravit. Verum omnibus in genuinis idylliis maximeque in bucolicis mimicisque, quae dorica dialecto aperte scripta sunt, non *ἤν*, sed semper doricum illud *αἴ κα* vel *αἴ κε* (*εἴ κε*) atque id quater decies positum videmus, praeterquam quod *ἤν* in XII, 25 exstat, in quo tamen carmine ut scripto ionica dialecto (cf. hypoth.) nimirum *ἤν* vel verissimum

---

[1]) Rumpelii Lexic. Theocr. (Lips. 1879) etiamnunc praebet bonum, at non ubique fidele auxilium. Idem cadit in Wahlini libellum (cf. p. 26[1]), quem nuperrime demum inspicere potui. —

diverbium faciunt bubulcus, cui est nomen Daphnis, et puella capraria. Neque igitur usquam haec tria munera pastoralia inter se permiscentur a poëta[1]).

Iam oculis proponamus tabulam, in qua varia nomina a Theocrito usurpata et pastorum et animalium cum singulorum tum congregantium, quae a singulis pastoribus custodiuntur atque aluntur, et significationes usitatae pascendi conspicua fiant.

	νομεῖς, **pastores**	
βουκόλος, *βούτας*, bubulcus	*ποιμήν*, opilio	*αἰπόλος*, caprarius
	quibus custodibus pascuntur et curantur animalia haec:	
βόες boves	*ὄιες* oves	*αἶγες* caprae
	horum animalium nomina sic variantur:	
ταῦροι, tauri	*μῆλα* (*μᾶλα*), oves	*τράγος*, hircus
δαμάλαι, iuvencae	*ἄρνες*, agni(ae)	*τραγίσκοι*, hirculi
μόσχοι, vituli(ae)	*κριός*, aries	*ἐνόρχας*, caper
πόρτιες, vitulae	*ἀμνοί*, agni(ae)	*ἔριφοι*, haedi, capellae
μοσχία, vituli novelli	*ἀμνίδες*, agnae parvae	*χίμαρος*, hirculus, capella
	οἰίς, ovicula	*χίμαιραι*, capellae
	βοτά, pecora	*μηκάδες*, muttientes (scl. caprae)
	greges	
ἀγέλη	*ἀγέλη*	*ἀγέλη*
*βουκόλιον**	*τὸ ποίμνιον*	
	ἁ ποίμνα	
	pascendi significationes variae:	
	a) pascere	
βόσκειν	*βόσκειν*	*βόσκειν*
νομεύειν	*νομεύειν*	*νομεύειν*

[1]) Cf. A. Cartault l. l. p. 429: «Théocrite distingue très nettement trois espèces de pâtres, qui forment des catégories à part, les bouviers, les bergers et les chevriers» etc. — Buecheler l. l. hanc rem parum respexit, cf. p. 350. —

* Asteriscis significata verba nisi in c. VIII non leguntur.

βουκολεῖν	ποιμαίνειν	αἰπολεῖν*
ἄγειν	νέμειν*	νέμειν*, ἄγειν
		ἐλαύνειν

b) pasci
βόσκεσθαι, νέμεσθαι.

In hanc igitur rationem institutionemque pastoralem[1]) et ex vera rerum natura petitam et diligenter ubique in carminibus a poëta servatam evidentissime peccatur, quod Menalcas idem, quem exordio comperimus opilionem esse ac talem etiam agnoscimus in vv. 35 et 56, ubi ἀμνάδας (agnas parvas) et μᾶλα (oves) pascens intellegitur, vv. 49 sqq. praeter omnem opinionem hircum, caprarum albarum virum, et capellas simas suas compellans declaratur caprarius. Minus tamen offendit, quod in v. 45 oves et caprae una memorantur; nam cum additur ἔνθα μέλισσαι . . . . καὶ δρύες ὑψίτεραι, perspicuum fit talia dici eo loco et naturae illustrandae et orationis ornandae causa. Et quantopere in v. 52 etiam forma contractior ὤν (pro ἐών) pugnet contra Theocriti consuetudinem auctoritatemque (cf. Brinker. l. l. p. 27), malumus, quod commodius est, infra, ubi locus occasionem dederit, explicare (cf. cap. II ad IX, 21).

Quibus cognitis elegorum poëta videtur esse talis, qui pastorum naturam, vitam, mores pernoscere non suis ipsius oculis ut Theocritus studuerit, sed qui ex huius imitatione, cum rerum ab ipso observatarum recentem memoriam aut vegetam cogitationem non haberet, rem parum acuto animo perceperit.

Neque vero aliae, verumtamen leviores suspiciones ab iisdem versibus absunt. Et maxime suspectum est verbum νέμειν pro usitatis βόσκειν et νομεύειν usurpatum, quod bis in elegiaco cantu (40. 52), bis idem in reliquo carmine (2. 66) scriptum videmus, quod tamen Theocritus in ceteris idylliis ne semel quidem scripsit nisi forma passiva. Tum etiam rarissimi apud Theocritum sunt numeri versus 53, qui in bucolicis intra trecenos versus semel (0,35 %) reperiantur. Cf. etiam Brinker. ad v. 41.

* Asteriscis significata verba nisi in c. VIII non leguntur.

[1]) Cf. eius rei explanationem diligentissimam apud Cartault. l. l. in parte libri perutili (Les réalités rustiques) p. 429—448.

Sed quae praeterea pungere possunt suspicacem animum, perscrutari supersedeamus, cum prae rebus allatis ea sint leviora. Denique nunc etiam id ipsum, quod cantus constat ex elegis, qui versibus hexametris intexti sunt, quoniam tam multa suspicione perstringenda fuerunt, fidem Theocriteam carmini elegiaco vix affert.

Tertio loco dicendum est poëtam, qui elegos scripsit, alium fuisse atque eum, qui vv. 1—32 fecit. Inter hos et illos quantum intersit modis forma, sententiis elegantia, nemo erit, quin in ipso perlegendo sentiat, neque opus est ulla explicatione. Atque multa deliberantes nos quidem elegos malumus tribuere poëtae tali, quales sunt Bio et Moschus, vel fortasse alterutri ipsorum; quam ad opinionem adducimur et quod alia quoque illorum poëmata sub Theocriti nomine propagantur (atque id cadit in idd. XIX, XX, XXIII, XXVII) et quod in reliquiis carminum eorundem simillimus dicendi usus atque in elegis observatur, velut illi poëtae particulis *ἄν, ἤν, κε,* etc. promiscue contra Theocriti consuetudinem, ut vidimus, usi sunt (cf. *ἤν* apud Bion. IV, 14. VI, 3. 5. 8. 10; apud Moschum I, 4. 24. 25. 26. 28. — *ἄν* ap. Bion. III, 13; ap. Mosch. III, 54. 119. 120: *ὥς κεν,* 121: *ὥς ἄν*).

Proxima aetate de his tetrastichis Reitzensteinius (Epigramm und Skolion, Giessen 1893) memorabilem ac novam in medium protulit sententiam, cum dicit p. 189: „. . . . und hat der Leser jetzt sich überzeugt, dass an Stelle der alten Gelage-Elegie mindestens seit der Mitte des vierten Jahrhunderts das Epigramm getreten ist, und dass schon vor der Zeit des Theokrit im Peloponnes in demselben kleine Schilderungen der Natur oder des Hirtenlebens beliebt waren, so kommt wohl jedem das achte Idyll der theokriteischen Sammlung in den Sinn (ad haec in adn.: Dass es zwar nicht von Theokrit, aber immerhin sehr alt ist, werde ich aus der Gestaltung der Daphnis-Sage später noch näher zu erweisen versuchen). Epigramme sind in der That die Lieder des ersten Wettstreits, jedes für sich eine Einheit.“

Si verum est, quod ille vir doctus nimia cum fiducia pronuntiat, fieri non potest, quin versus elegiaci interpolati sint. Sed id quod Reitzensteinius dicit de omnibus strophis, nos quidem, quia primae quattuor strophae binae evidenter inter

se referendae et coniungendae sunt neque extrinsecus singulae agglutinatae esse possunt, minime credimus. Neque stropha 49—52 (ὦ τράγε, τᾶν λευκᾶν αἰγῶν ἄνερ,) aut stropha 53—56 (μή μοι γᾶν Πέλοπος, . . .), utcunque eas spectamus, speciem epigrammatis propriam prae se ferunt. Omnino autem parum sentimus in argumentis singularum stropharum epigrammatis quasi mucronem. At certe negandum non est extremae strophae epigrammatis signum manifestum impressum esse, id quod primus Hermannus (op. V, p. 84) recte coniecit, cui calculos suos adiecit Meinekius (p. 268); atque hanc opinionem asciscimus eo magis et quod illud tetrastichon minime quadrat in argumentum totius idyllii et quod comparare possumus idem cum aliis quibusdam eius generis poëmatis, quorum afferre licet primum Callimacho adscriptum (Anth. Pal. XII, 230):

Τὸν τὸ καλὸν μελανεῦντα Θεόκριτον, εἰ μὲν ἔμ' ἔχθει
τετράκι μισοίης, εἰ δὲ φιλεῖ, φιλέοις·
ναιχὶ πρὸς εὐχαίτεω Γανυμήδεος, οὐράνιε Ζεῦ·
καὶ σύ ποτ' ἠράσθης — οὐκέτι μακρὰ λέγω.

alterum Eratostheni scholastico assignatum (A. P. VI, 78):

Τὼς τρητὼς δόνακας, τὸ νάκος τόδε τάν τε κορύναν
ἄνθες Πανὶ φίλῳ, Δάφνι γυναικοφίλα.
ὦ Πὰν, δέχνυσο δῶρα τὰ Δάφνιδος· ἶσα γὰρ αὐτῷ
καὶ μολπὰν φιλέεις καὶ δύσερως τελέθεις.

tertium, quod Reitzenstein. l. l. p. 190 propter similem finem demonstravit (A. P. V, 167) cuiusque auctor Asclepiades (cf. Theocr. VII, 40) fertur:

Ὑετὸς ἦν καὶ νύξ, καὶ τὸ τρίτον ἄλγος ἔρωτι,
οἶνος, καὶ Βορέης ψυχρός, ἐγὼ δὲ μόνος.
ἀλλ' ὁ καλὸς μόσχος πλέον ἴσχυε· καὶ σὺ γὰρ οὕτως
ἤλυθες, οὐδὲ θύρην πρὸς μίαν ἡσύχασας —
τῇδε τοσοῦτ' ἐβόησα βεβρεγμένος — ἄχρι τίνος, Ζεῦ;
Ζεῦ φίλε, σίγησον, καὐτὸς ἐρᾶν ἔμαθες.

Attamen ex hoc locorum consensu quamvis miro, quod ultra meram coniecturam sit, quidquam effici nequit[1]). Emanat

[1]) Itaque quaecunque vv. dd. coniecerunt de ea re, futilia quam maxime sunt et reicienda; quis enim cum fide dixerit illud epigr. omnino esse Callimacheum, quis vero illum *Θεόκριτον* in epigr. citatum hunc esse

tantum ex primo et tertio epigrammate de Iovis amoribus erga feminas salse et proverbialiter dictum esse, ex altero illum Eratosthenem aut respexisse ad locum Theocriteum aut ipsum utrumque tetrastichon fecisse. —

Iam pergamus disputare de altero qui additur cantu. Quem praecedunt interloquentis poëtae duo versus (61, 62) quam maxime inconditi, cuius generis vv. 28—32 esse vidimus, ut hi et illi eundem versificatorem prodere videantur. Nam forma metrica versus 61 in genuinis idylliis, ut Kunstius l. l. p. 46 computavit, intra ducenos versus semel, versus 62 intra trecenos bis exstat, et si praeterea caesuras insolenter fieri reputemus, tales versus etiam rarius inveniuntur; accedit eodem, quod pauci eiusmodi versus, qui apud Theocritum leguntur, per emendationem partim faciliores facti numero minuuntur.

Neque dubium est, quin versus 61 etiam vocibus absonus verbaque *δι' ἀμαβαίων* et *ἐξᾶρχε* resipiant exilem modulandi facultatem interpolatoris, atque etiam, ut omnes, si quae remanent, dubitationes de eius opera diluantur, eum manifestum ac deprehensum habemus voce Attica *ᾠδάν* (62), quam falso scripsit pro Dorica et Theocritea *ἀοιδάν*. Recognoscite omnia poëtae idyllia, iam vobis persuadebitis eum semper et constanter vocis formam distractiorem (*ἀοιδά*) eamque summatim circiter duodecies[1]) posuisse, dummodo nonum idyllium, quod ipsum fide Theocritea addubitandum est, ex illis excipiamus.

Quodsi a versu 63 orditur alterum canticum alternum et bipartitum inter cantantes, merito miramur et quaerimus, cur

---

poëtam? Et alia quoque sunt incerta et obscura. Cf. Fritzsch. in argum. p. 258 et ad v. 56h. Ribbeck. preuss. Jahrb. 1873 p. 85. Valckenar. epist. ad Roever. p. 9 sqq. Brinker. l. l. p. 28; Hiller. ad vv. 59—60. — Ceterum non difficile esse eiusmodi strophas concinnas ad alias excogitare ostenderunt cum Graefius (ap. Kiessling. ad v. 49) et Koechlyus l. l., quorum uterque ad vv. 49—52 unam stropham suppleverit, tum Fritzschius qui tres strophas supplendi causa adscripserit, quae quidem *παίγνια* non illepida, sed inutilia sunt ei qui vera exploraturus est. —

[1]) Falsa est computatio Brinkeri l. l. p. 29, cum undetricies vocem *ἀοιδά* exstare dicit; nam versus intercalaris id.i I. undevicies repetitus instar est unius exempli. — Bio et Moschus videntur promiscue *ἀοιδά* et *ᾠδά* scripsisse, sed incertum est; cf. Bion. VI, 11 *ᾠδά* (corr. *αὐδά*), Mosch. in epith. Bion. *ἀοιδά* in vv. 12. 53. 99, *ᾠδά* in vv. 15. 96; huius tamen carminis auctor fortasse non est Moschus (cf. Buecheler. in Mus. Rhenan. vol. XXX p. 33—40). —

illi praeter poëtae morem atque usum nunc de integro canere incipiant, postquam priore carmine satis artificioso satisque amplo, quid arte canendi possent, egregie demonstraverunt. Cuius rationis causam probabilem nos quidem non videmus. Et rectissime Hermannus quoque (l. l. p. 86) iudicavit de ea re, cum dicit: ‚uno enim carmine potius quam duobus certare pueros exspectes; sin autem duobus, priore hexametro, tum vero, ut maiorem artem ostenderent, elegiaco'.

Iam opus est ad singula descendere. Utramque cantilenam licet distribuere, ut fere fit, in quaterna disticha, quorum primo Menalcas compellat lupum, ne sibi noceat, altero canem, ut vigilet, tertio adhortatur oves, ut pascantur, quarto eadem adhortatio iteratur, ut earum ubera lacte distenta fiant, Daphnis autem primo et altero disticho narrat de puellae alicuius petulantia suaque pudicitia — in his quidem rerum nexus perspicitur —, tertio universe laudat vitam pastoralem, quarto dicit ut in omnibus naturae rebus sui cuique similia decori esse, sic boves suas bubulco. Tantum igitur abest, ut secundus pastor suos versus concinnitate quadam accomodet ad sententias adversarii — id quod et res postulat et exempla docent —, ut ne quaterna quidem disticha, quae continuo ab utroque panguntur, inter se coeant in unam sententiam, sed contra singulae efferantur sententiae abruptae neque inter se coniunctae[1]). Itaque distichorum natura atque indoles legenti apparet ea quasi illa principio alterna (ut in id. V fit) fuerint, nec difficile est, si qua conamur, talia etiam restituere. Cf. p. 62. De qua re saepe et assidue mihi cogitanti magis magisque stabilita est ea opinio, ut illa disticha (praeter unum) iudicarem totius carminis fuisse tamquam primordia atque etiam fragmenta Theocritea. Fragmentorum enim habitus distichis, quamquam interpolator in iis disponendis et supplendis versatus est, etiamnunc inhaerere videtur. Hanc quidem naturam nos conspicimus et in solutiore sententiarum conexu et in eo, quod *κἤμ'* in v. 72, a quo incipit Daphnidis cantilena,

[1]) Nolite excusare hanc rem demonstrantes fortasse X, 41 sqq. *τὰ τῶ θείω Λιτυέρσα*, quibus Milo messor Bucaei cantilenae amatoriae de industria opponit utilia nonnulla rusticorum praecepta communia, quae cum singula per se valeant, inter se cohaerere non opus est. —

non habet, ad quod referatur, ut ad amissam potius sententiam spectare videatur; quam rem cum Hiller interpretatur verbis: *καὶ* (= auch) steht darum, weil der allgemeine Gedanke vorschwebt: „auch an mir (wie an anderen jungen Hirten) finden die Mädchen Gefallen", infert videlicet loco sententiam, quae exprimi potuit aut debuit, non exprimitur. Quod quam recte nos reprehendamus, elucet ex compluribus aliis exemplis Theocriteis, quae conferri velimus: IV, 9. V, 90. 96. 106. 114. 122. VII, 37. 92 (quibus allatis simul conspicuum fit pro *κἄμ'*, quod vulgo exhibetur, scribendum esse *κἤμ'*, cf. etiam IV, 4 et II, 159).

Sed proximum colon (74, 75):

οὐ μὰν οὐδὲ λόγων ἐκρίθην ἄπο τὸν πικρὸν αὐτᾷ,[1]
ἀλλὰ κάτω βλέψας τὰν ἁμετέραν ὁδὸν εἷρπον.

cuius sententia cum antecedente conexa est, ob id ipsum speciem habet interpolationis atque etiam propter alias res, quas protinus explicabimus. Primum igitur quod *ἐκρίθην ἄπο* dicitur pro *ἀπεκρινάμην*, neque ferendum est neque excusandum; de qua re omnium fere criticorum consensus est, velut Lobeckius ad Phrynich. p. 108: *εἰδὼς οὖν τοῦτο ἐπὶ μὲν τοῦ ἀποδοῦναι τὴν ἐρώτησιν, ἀποκρίνασθαι λέγε, ἐπὶ δὲ τοῦ διαχωρισθῆναι, ἀποκριθῆναι* adnotavit cum alia tum haec: ‚neque *ἀποκριθῆναι* unquam quisquam pro *ἀποκρίνασθαι* veteres[2]) usurpasse demonstret'. Et Meinekium (p. 479) quoque laudamus, quod Machoni poëtae satis ignobili, qui eadem verbi forma usus esse fertur, sed in Chriarum opere vulgari sermone scripto (exstant autem duo exempla apud Athenaeum VIII, p. 349 et XIII, p. 577), magnam non tribuit auctoritatem, cui etiam Buecheler (Jahrb. f. klass. Phil. 1860 p. 348), quamquam cetera contrarie iudicat de hoc carmine, assentitur his verbis: „Begründet dagegen ist der Tadel von *ἐκρίθην ἄπο* späterer

---

[1]) Var. *λόγον* (m). — *τὸ πικρὸν* schol. in l. habet. Versum a principio male factum coniecturis temptare vix opus est. Ceterum versus sententia bene intellegitur: ‚Fürwahr ich gab ihr das kränkende Wort nicht einmal zurück, sondern ich ging u. s. w.'; dicitur enim *λόγων* i. e. verborum, quae pronuntiare poteram, et *τὸν πικρὸν* i. e. hoc (verbum) modo per ludibrium dictum. Manet tamen in v. duritas dicendi. —

[2]) Apud scriptores serioris graecitatis: Polybium, Diodorum, Josephum, Lucianum eum verbi usum sane frequentatum videmus. —

Graecität". Et rectissime Meinekius: ,illud ἀπεκρίθην igitur, inquit, ipsius poëtae vitium est', accuratius vero ei dicendum fuit ,interpolatoris'. Neque tamen silentio praetermittendum est illud memorabile ac simile ἀμείφθην in id. VII, 27, etsi non dubitamus, quin id huic loco, quoniam sunt verba diversa, excusationem vix afferat. Cf. ὑποκρίνοιτο in id. IX, 6 (i. e. in parte haud dubie insitiva) et ipsum insolens scriptum, contra I, 92: ποτελέξατο, 100: ποταμείβετο. Ceterum orationis asperitas in hoc versu tmesi etiam molestior fit. — Ac ne alter quidem versus qui sequitur (75) caret vitiosa dicendi ratione (cf. etiam Kunst. l. l. p. 48); nam cum legimus τὰν ἁμετέραν ὁδὸν εἶρπον, non minus insolens aut inepta enuntiatur Graeca sententia, quam si poëta nostras diceret: ,ich ging unseren Weg'. Cf. contra Bion. XII, 1: αὐτὰρ ἐγὼν βασεῦμαι ἐμὰν ὁδόν. Ipsis igitur oculis videmus, quales artes interpolator adhibuerit ad duos hos versus fabricandos. — Cetera vero disticha omnia quod tribuamus eidem versificatori, non habemus. Quaecunque viri docti alius aliter atque alibi in dubitationem suspicionemque vocaverunt, ea non sunt tam magni momenti, ut magnopere poëtae orationi adversentur. Itaque dissentimus a Brinkero (l. l. p. 29), qui ,hunc cantum Theocriti non esse propter verbum νέμειν v. 66 insolenter usurpatum' censuerit. Verum est νέμειν[1]) cum notione ,pascere' (agere) insolenter apud Theocritum quidem nos scriptum videre (cf. usitata ap. Th. verba pascendi in tab. p. 53); attamen alibi nonnunquam occurrit is verbi usus, ut apud Homerum Od. IX, 233 legimus idemque absolute: εἶος ἐπῆλθε νέμων. Cf. etiam Herod. I, 110: νομὰς νέμοντα. Xen. Cyr. III, 2, 20: ὄρη νέμειν — οἱ νέμοντες — νέμειν — νέμοιτε. Sed aliud est, si semel in poëtae carminibus formam insolentem admitti volumus, aliud, si eadem quater etiam in uno carmine invenitur, ut est in huius idyllii v. 2, 40, 52, 66. Neque igitur in v. 67 illud unum νέμοντα tantum valet, ut Theocriteam auctoritatem iure versibus detrahere possit. Ceterum emendatio loci facile efficitur, si scribimus νομεῦντα (νομέοντα); de voce νομέω cf. Lobeck. ad Phryn. p. 590. — Deinde immerito in voce ὄκκα (v. 68)

---

[1]) Aliam vim habet νέμων in id. XVII, 69 et XXV, 171 (epigr. XIV, 1 et XXIII, 1). —

propter *α* productum offendit Meinekius adnotans (l. l. p. 468 ad h. v.): ‚Th. ὄκκα constanter in ultima corripere'; sed ille parum diligenter de ea re percontatus est poëtam, apud quem res ita se habet: ὄκκα cum elisione vocalis *α* scriptum est his locis: I, 87. IV, 56. XV, 144; ὄκκᾱ γλυκύς legitur in XI, 22 et 23, sed ὄκκᾰ θύωντι in IV, 21, contra quod exemplum stat hic locus ὄκκᾱ πάλιν; atqui et longum quoque *α* potuit elidi et ὄκκα contractum est ex ὄκα κᾱ, ut Hillero assentiendum sit dicenti (ad h. v.): ‚ὄκκᾱ ist die correcte Messung'. Idem senserunt Buecheler (l. l. p. 348) et Brinker (p. 29). Atque ut αἴ κᾱ semper *α* producto (cf. I, 4. 5. 9. 61. V. 21. VII, 55. XI, 61) posuit poëta, attamen αἴκ' scripsit *α* eliso V, 51, ita prorsus eadem ratione scribi debuit ὄκκᾱ et potuit tamen *α* elidi: Egomet igitur censeo rectius ὄκκᾱ metiendum fuisse poëtae, sed nihilominus eidem licuisse scribere ὄκκᾰ atque etiam ὄκκ' abiecto *α*, sicuti factum est[1]).

Tum versu 73:

τὰς δαμάλας παρελᾶντα καλὸν καλὸν ἦμεν ἔφασκεν

collato cum id. V, 89:

τὰς αἶγας παρελᾶντα καὶ ἁδύ τι ποππυλιάσδει

(cf. etiam id. III, 6/7 et id. XX, 30) imitationem in his pro re comperta non habemus, praesertim cum identidem in idylliis tales verborum sententiarumque repetitiones inveniamus; cf. V, 88 cum VI, 6; — V, 85 cum VI, 8; — V, 89 cum III, 6 sqq. (cf. etiam p. 39 h. disp.). —

Quae cum ita sint cumque praeterea colore vere Theocriteo singula disticha videamus ornata, non est, cur eos versus a poëta necessario abiudicemus[2]); possunt tamen iidem nihilosecius alius auctoris esse; at certe sunt poëtae, non versificatoris; quidni cogitemus de Bione aut Moscho, quippe quorum reliquiae parum acute dispicienti propter orationis et argumentorum similitudinem nimirum Theocriteae videri possint, ut exempla sane demonstrant. — Atque eosdem versus postea

---

[1]) Coniecturae igitur hoc loco sunt inutiles; si qua opus est, Meinekii emendatio: ὄκκ' αὖ πάλιν est facilis et bona; cf. IV, 48: ἴδ' αὖ πάλιν ἅδε ποθέρπει. V, 149. — Codicum *h* et *s* lectio: ὄκκ' ἄν videlicet orta est ex mente insipienti veteris alicuius grammatici. —

[2]) Idem iudicat contra Brinker. etiam Legrand. l. l. p. 16. —

demum in hunc ordinem coniunctionemque redactos esse, sed principio alia dispositione alioque consilio scriptos fuisse vel maxime conspicuum est et versu 76[1]), quod deest inter eum versum et antecedentes omne vinculum non minus sententiarum quam verborum, et versu 63, quod Menalcae ut opilioni ad Theocriteam quidem rationem dicendum non fuit de capellis (cf. p. 52 sqq.); quem versum etiamsi apud Stobaeum (flor. 78, 2) traditum sic videamus:

φείδευ τῶν ἀρνῶν, φείδευ λύκε τῶν ἐρίφων μευ

versamur in iisdem angustiis, nisi forte (cum Meinekio) *τῶν ἀρνῶν* priore loco, non *τῶν ἐρίφων* altero loco in idyllium recipimus, quod ne faciamus, ratione impedimur. Itaque nescio an re vera versus 63—70 diverbii partes fuerint distributae inter opilionem et caprarium hoc fere modo:

αἰπόλος.

63 *φείδευ τῶν ἐρίφων, φείδευ, λύκε, τᾶν τοκάδων μευ,*
64 *μηδ' ἀδίκει μ' ὅτι μικκὸς ἐὼν πολλαῖσιν ὁμαρτέω.*

ποιμήν.

65 *ὦ Λάμπουρε κύον, οὕτω βαθὺς ὕπνος ἔχει τυ;*
66 *οὐ χρὴ κοιμᾶσθαι βαθέως σὺν παιδὶ νέμοντα.*

αἰπόλος.

69 *σίττα νέμεσθε, νέμεσθε, τὰ δ' οὔθατα πλήσατε πᾶσαι,*
70 *ὡς τὸ μὲν ὥρνες ἔχωντι, τὸ δ' ἐς ταλάρως ἀποθῶμαι.*

ποιμήν.

67 *ταί δ' ὄιες, μηδ' ὔμμες ὀκνεῖθ' ἁπαλᾶς κορέσασθαι*
68 *ποίας· οὔτι καμεῖσθ', ὄκκα πάλιν ἅδε φύηται.*

---

[1]) In hoc versu ineptissime *τὸ πνεῦμα* interpretantur *τῆς πόρτιος* et bonus Vossius erravit, cum verteret v. 76: ‚Lieblich ist der Kalbe Getön, und lieblich ihr Odem', sed vertendum est recte sic: ‚Lieblich ertönt die Stimme des Kalbes und Windesgesäusel' vel ‚und lieblich die Flöte'. *Τὸ πνεῦμα* igitur eadem fere vi accipiendum est ac *ψιθύρισμα* I, 1, sed ambigitur, utrum flatum lenium ventorum — nam in eo quoque est *φωνή* cf. I, 1 sqq. — an fistulae interpretemur; prius tamen ut magis condicioni consentaneum anteferamus; nam qui fervida aestate sub divo moratur, ei ventorum flatus et corpora refrigerans et susurrans in arborum frondibus iucundissimus est. Cf. Thuc. IV, 26 (*πνεῦμα* = ventus). — Verg. ecl. V, 82. —

Verba μηδ' ὕμμες ὀκνεῖθ' κτλ. in hac dispositione probe spectant ad versus antecedentes, quibus caprae impelluntur ad pascendum (= „und ihr Schafe, seid auch ihr nicht säumig“ nämlich wie die Ziegen). Atque colon tertium bene refertur ad capras, quae quidem pecora magis quam oves sint idonea, quae ubera lacte impleant. Itemque in colo altero de ovibus cogitandum est, cum canis sit notus ille comes gregis ovium (ut V, 106; VI, 9; sed VIII, 27 in parte spuria). In colis primo et quarto est nulla ambiguitas dicendi. Et versus 72 sqq. similiter in cola concinna disponi posse postea significabimus.

Principia vero et fragmenta, a quibus inceptum et amplificatum est totum idyllium[1]), fuisse haec disticha conicimus cum aliis de causis tum ex eo, quod is qui exordium carminis fecit ex verbis Menalcae μικκὸς ἐών et σὺν παιδὶ νέμοντα colligere potuit puerilem quam ibidem effinxit aetatem pastorum, tum ex vv. 65, 67, 70 Menalcam esse ovium pastorem, ex vv. 73, 76, 80 Daphnim esse bubulcum, denique ex v. 66: νέμοντα repetisse videtur illud μᾶλα νέμων (v. 2).

Reliquum est, ut extremum idyllium penitus introspiciamus (81—93). Atque in v. 81 agnoscimus stilum eiusdem qui versus 28/29 scripsit. In versibus, qui inde sequuntur (82—87) quibusque caprarius arbiter ascitus certamen diiudicat Daphnimque victorem declarat, similitudo quaedam et dicendi et cogitandi cum epilogo id. I (146—152) impressa est, ut de his quoque dubitemus, utrum poëtae imitantis an ipsius Theocriti sint. Huic sine causa Brinker (p. 30) eosdem abiudicat; ‚propter verbum μέλπεσθαι (83), ait ille, quod Th. nusquam praebet.' At si idem v. d. diligentius circumspexisset in idylliis, invenisset in id. XVII, 113 λιγυρὰν ἀναμέλψαι ἀοιδάν[2]). Commemoratione autem dignum est, quod Bio verbum μέλπειν posuit II, 4. V, 4. VI, 8 idemque κρέσσων I, 55 et κρέσσονα XVI, 2 (id. XX, 43), hoc tamen nusquam Theocritus. Cf. Mosch. III, 19. 96 (μέλπειν), epigr. V, 4: μελπόμενος. — Et in his quoque versibus neglectum est, quod pueri sunt ii, qui canendo

---

[1]) Cf. Legrand. l. l. p. 16: «les vers 63—70, 72—80 (77), qui peuvent être les débris d'un poème théocritéen placé primitivement dans le Corpus à côté des pièces authentiques.»

[2]) Cum Brinkero errat Legrand. l. l. p. 16, qui v. d. satis habet unius fere Brinkeri argumenta et dubitationes in hac re aestimare.

certaverunt; nam arbitrum, qui Daphnidi victori, si ipsum eam artem docuerit, pro mercede donaturus sit capram egregiam, possessorem gregis atque eum pueris multo maiorem natu cogitandum puero Daphnide uti velle magistro artis canendi parum credibile est. Cf. V, 36 sq. et v. 15 sq. h. id. Quod respicientibus nobis versus 82—87 in formam huius idyllii vix quadrare videntur, sed utrum Theocriti ipsius an imitatoris sint, incertum est; arte tamen ii versus maxime aequare videntur elegiacos.

Commodissime hoc loco (87) idyllium potuit finiri. Adduntur tamen haec:

88 *Ὡς μὲν ὁ παῖς ἐχάρη καὶ ἀνάλατο καὶ πλατάγησε*
νικάσας, οὑτῶς ἐπὶ ματέρι νεβρὸς ἅλοιτο.
ὡς δὲ κατεσμύχθη καὶ ἀνετράπετο φρένα λύπᾳ
ὥτερος, οὕτω καὶ νύμφα γαμεθεῖσ' ἀκάχοιτο.[1])
κὴκ τούτω πρᾶτος παρὰ ποιμέσι Δάφνις ἔγεντο,
93 *καὶ Νύμφαν ἄκρηβος ἐὼν ἔτι Ναΐδα γᾶμεν.* —

Neque vero quisquam, si versus sex ultimi abessent, eos desideraret. Hic epilogus non solum supervacaneus est, sed recognoscimus etiam in eo additamentum interpolatoris illius imprudentis, qui orationem in hac quoque parte variis dicendi vitiis mendisque non inquinare nescivit. Primum aequabili illa conformatione sententiae particulis comparativis *ὡς* — *οὑτῶς* et *ὡς* — *οὕτω* structae nos quidem dicendi vim attenuatam orationemque inficetam sentimus. Cf. contra in id. XVIII, 26 sqq. multo prolixiorem orationem comparativam. — Itemque cum legimus v. 91 *καὶ νύμφα γαμεθεῖσα* et subinde v. 93 *καὶ Νύμφαν* — *γᾶμεν*, dicendum est versificatoris esse, non poëtae in eadem verba vel verborum copulationes paucis intermissis usque recurrere, id quod aliis locis huius poëmatis identidem animadvertimus. Quibus rebus etiam gravius ferendum est, quod bis (v. 89 et 91) nudus optativus potentialis sine *κεν* collocatur[2]), quae est dicendi licentia inaudita et aliena a Theocrito, eaeque particulae, quamquam sine ulla difficultate inseri possunt, tamen libris neutro loco traduntur, ut certe librariorum culpa omissae non sint. Et verba sententiaeque v. 88 *ὡς μὲν ὁ παῖς ἐχάρη καὶ ἀνάλατο καὶ πλατάγησε νικάσας* admodum

[1]) De numeris versuum 90 et 91 cf. Kunst. l. l. p. 26, 48, 51. —
[2]) Cf. Wåhlin. l. l. p. 31. —

spectant ad id. V, 141 sqq. — cf. κεχαξῶ = ἐχάρη et ἐς ὠρανὸν ἁλεῦμαι = ἀνάλατο. Praeterea quanta festivitate res illustrata est in id.° V exeunte et quam ieiunam videmus orationem descriptionemque in id.° VIII. — Tum vero crux quodammodo interpretum est enuntiatum καὶ νύμφα γαμεθεῖσ' ἀκάχοιτο, quod quidem quid sibi velit perspicitur, sed vitiose et inscite profertur; inepta enim est illa comparatio, quod novae nuptae communi more ac consuetudine fere non solent lugere, contra potius laetari ipsis antiquis temporibus; velut scriptum legimus, quanta hilaritate laetitiaque Helenae nuptiae carmine XVIII a puellis nuptialibus celebrentur; vitium autem exsistit eodem loco, quod et γαμεθεῖσα (quod vulgo editur, etiam in a. s.) est aoristi forma insolentissima neque altero exemplo confirmata, verum serioris graecitatis exemplum idem atque illud ἐκρίθην ἄπο, et γαμηθεῖσα (codd. m. p. k. traditum) turbat videlicet numeros versus. Atque etiam verbum κατεσμύχθη (cf. id. III, 17) hoc loco non recte scriptum est, cuius sensus communis est tabescere aegritudine aliqua animi, maxime amore. Et proximi versus verbis παρὰ ποιμέσι (opilionibus) apertissime proditur interpolator ignarus παρὰ νομεῦσι (cf. id. VII, 28) = pastoribus Theocritum scripturum fuisse (cf. p. 52 sq.).

Summam denique discrepantiam contulit in Theocriti idyllia is qui versus extremos addidit; persuasurus enim legentibus, ut fabulosus ille heros pastoralis in hoc idyllio repraesentaretur sub nomine Daphnidis, non ignobilis pastor aliquis[1]), ei nubentem fecit Naïda nympham (cf. etiam v. 2 ὡς φαντί). Quae res vel gravissima paulo accuratius explananda est.

Daphnidis igitur nomen celeberrimum apud Siculos vulgaribus quoque pastoribus fuisse intellegimus ex idd. VI, IX, XXVII. Ubicunque vero fabulosi illius Daphnidis in idylliis mentio fit, is non ipse agens inducitur, sed poëta alios pastores

---

[1]) Quod qui negat, ut Holm. Gesch. Siciliens II, p. 316, cum dicit: „Man muss nicht glauben, dass der Daphnis dieses Idylls (8) derselbe mit dem mythischen Daphnis des ersten ist“ et p. 498: „In Idyll 6 und 8 sind es gewöhnliche Hirten, die den Namen Daphnis führen“, eodem iure potest negare: bis bina quattuor esse. Alia quoque commenticia de Th. vita et carminibus idem v. d. in medium protulit. — Contra cf. Croiset. l. l. V p. 197. —

de eius persona nempe ut fabulosa dicentes facit; itaque in id. V, 80 Comatas pastor eum commemorat his verbis:

ταὶ Μοῖσαί με φιλεῦντι πολὺ πλέον ἢ τὸν ἀοιδόν | Δάφνιν·

ita in id. I, 19 et id. V, 20 *τὰ Δάφνιδος ἄλγεα* etiam in proverbio versantur, itemque in id. VII, 73 sqq. Tityri (sub quo nomine fortasse Alexandrum Aetolum latere Meinek. opinatur) carmen de Daphnidis amore et doloribus strictim refertur, uberius tamen eadem res in praeclaro illo hymno idyllii I, v. 64 sqq. narrata est. Ex quibus maxime sequitur, ut Theocritus de fabula Daphnidis semper unam eandemque cogitationem et argumentum animo conceperit carminibusque effinxerit. Hoc quidem eo magis observandum et contendendum est, quod eam fabulam per saecula et a grammaticis et a poëtis satis variatam atque exornatam vel deformatam esse ex iis quae ad nos pervenerunt testimoniis[1]) affatim apparet. Quotquot viri docti operam dederunt, ut fabulam Daphnideam temporibus et oblivione obscuratam satis ex tenebris eruerent, quidquid divinando excogitaverunt, res adhuc lucem desiderat[2]). Sed ad nostrum propositum interest non tam quaerere, quodnam fuerit omnino eius fabulae argumentum[3]), quam si fieri potest statuere, quo modo vel qua forma Theocritus illam

---

[1]) Cf. scholl. ad id. VIII, 92. 93. — Parthen. (Timaeo Siculo auctore) 29. — Aelian. var. hist. X, 18. — Diodor. Sic. IV, 84. — Servium ad Verg. buc. V, 20 et VIII, 68. — Philargyr. ad Verg. buc. V, 20. — Ovid. art. am. I, 732. Metam. IV, 277. —

[2]) Cf. C. Fr. Hermann., de Daphnide Th., Gott. 1853. — Hempel. quaest. Theocr. diss. Kil. 1881 p. 62 sqq. — Brinker. l. l. p. 30, apud quos reliquas commentationes de eadem re laudatas invenias. — Novissime de hac re Reitzenstein. l. l. p. 193 sqq. et p. 243 sqq. disseruit obscuraque nonnulla in lucem protulit.

[3]) Ceterum eius formam testimoniis veterum vulgatam P. Decharme, vir doctissimus atque praeclarissimus, (Mythologie de la Grèce antique. Paris 1879) breviter et elegantissime sic adumbravit, p. 460: «. . . Cependant une nymphe s'était éprise de Daphnis: c'était Lyké (la lumineuse). Elle obtint de lui la promesse qu'il ne connaîtrait jamais d'autre amour que le sien, menaçant de le rendre aveugle s'il manquait à sa parole. Pendant longtemps, Daphnis sut résister aux mille tentations qu'il rencontrait sur la route: mais un jour, il se laissa enivrer par la fille d'un roi et céda à son caprice. Privé de la douce lumière, Daphnis essaya en vain de se consoler en faisant retentir de ses chants et du jeu de son chalumeau l'écho des montagnes.»

Sed quae praeterea pungere possunt suspicacem animum, perscrutari supersedeamus, cum prae rebus allatis ea sint leviora. Denique nunc etiam id ipsum, quod cantus constat ex elegis, qui versibus hexametris intexti sunt, quoniam tam multa suspicione perstringenda fuerunt, fidem Theocriteam carmini elegiaco vix affert.

Tertio loco dicendum est poëtam, qui elegos scripsit, alium fuisse atque eum, qui vv. 1—32 fecit. Inter hos et illos quantum intersit modis forma, sententiis elegantia, nemo erit, quin in ipso perlegendo sentiat, neque opus est ulla explicatione. Atque multa deliberantes nos quidem elegos malumus tribuere poëtae tali, quales sunt Bio et Moschus, vel fortasse alterutri ipsorum; quam ad opinionem adducimur et quod alia quoque illorum poëmata sub Theocriti nomine propagantur (atque id cadit in idd. XIX, XX, XXIII, XXVII) et quod in reliquiis carminum eorundem simillimus dicendi usus atque in elegis observatur, velut illi poëtae particulis ἄν, ἤν, κε, etc. promiscue contra Theocriti consuetudinem, ut vidimus, usi sunt (cf. ἤν apud Bion. IV, 14. VI, 3. 5. 8. 10; apud Moschum I, 4. 24. 25. 26. 28. — ἄν ap. Bion. III, 13; ap. Mosch. III, 54. 119. 120: ὥς κεν, 121: ὥς ἄν).

Proxima aetate de his tetrastichis Reitzensteinius (Epigramm und Skolion, Giessen 1893) memorabilem ac novam in medium protulit sententiam, cum dicit p. 189: „. . . . und hat der Leser jetzt sich überzeugt, dass an Stelle der alten Gelage-Elegie mindestens seit der Mitte des vierten Jahrhunderts das Epigramm getreten ist, und dass schon vor der Zeit des Theokrit im Peloponnes in demselben kleine Schilderungen der Natur oder des Hirtenlebens beliebt waren, so kommt wohl jedem das achte Idyll der theokriteischen Sammlung in den Sinn (ad haec in adn.: Dass es zwar nicht von Theokrit, aber immerhin sehr alt ist, werde ich aus der Gestaltung der Daphnis-Sage später noch näher zu erweisen versuchen). Epigramme sind in der That die Lieder des ersten Wettstreits, jedes für sich eine Einheit."

Si verum est, quod ille vir doctus nimia cum fiducia pronuntiat, fieri non potest, quin versus elegiaci interpolati sint. Sed id quod Reitzensteinius dicit de omnibus strophis, nos quidem, quia primae quattuor strophae binae evidenter inter

vita eius exstinguatur. In hac igitur rerum condicione et argumento versatur fabula Daphnidea, quam quidem a Theocrito tractatam cognoscamus[1]).

Redeamus nunc ad exitum idyllii VIII, unde deflexit oratio. Non dubium est, quin is qui versus 92 et 93 adscripsit mirum quantum discrepet ab ea fabulae forma quam Theocritus expressit atque excoluit carminibus, ut non credamus hunc esse versuum auctorem. Enimvero non discrepantia solum nascitur hoc loco, sed ineptiae etiam illatae videntur fabulae, quae sollertia inventa et lepore distincta est; nam Daphnim facere ducentem nympham uxorem idem est atque vim fabulae aut pervertere aut demere; neque vero ulla alia re fit manifestior opera interpolatoris insipientis, qui quidem elegantiam fabulae male novit et parum sensit[2]).

Denique attendatis velim animos ad illud, quod Daphnis amatorius et *γυναικοφίλας* in illo quidem elegiaco carmine congruenter cum vv. 92/93, discrepanter a vera fabula depingitur, sed idem in altero cantu hexametro pudibundus et puellas fugiens invicem congruenter cum ipsa fabula, discrepanter a vv. 92/93 cogitatur.

Iam singulas res quae animadvertendae fuerunt in hoc carmine pedetemptim et gradatim pertractavimus. Quodsi omnia adhuc deliberata atque explanata comprehendimus summamque ex iis conficimus, de idyllio VIII iudicandum est id quod tribus exprimamus sententiis his:

---

[1]) Cum hac fabulae cogitatione luculente etiam convenit sensus nativus, qui fortasse ei subest et fere subici solet: Daphnis autem putatur imago nivis verno tempore tabescentis vel omnino hiemis exeuntis (cogitandum est de altis montibus regionum meridionalium praecipue nivibus opertis; cf. id. XI, 48 et VII, 76 sqq.). Altera huius fabulae interpretatio speciosissima datur a P. Decharme, l. l. p. 461, his verbis: «Daphnis, c'est donc sans doute le beau soleil qui, chaque jour, fait paître ses brillants troupeaux, qui, au matin de sa vie, aime l'aurore et en est aimé, qui plus tard s'éloigne d'elle, qui, pour prix de son infidélité, est aveuglé par la nuit et disparaît bientôt derrière les hautes cimes.» — Fabula fortasse non in ipsa Sicilia nata est. Cf. C. Fr. Hermann. l. l. p. 19 de sententia fabulae. — Cum Theocriteae fabulae conceptione congruit Vergiliana in ecl. V, 20 sqq. —

[2]) Cf. etiam Fairon. l. l. p. 244.

tantum ex primo et tertio epigrammate de Iovis amoribus erga feminas salse et proverbialiter dictum esse, ex altero illum Eratosthenem aut respexisse ad locum Theocriteum aut ipsum utrumque tetrastichon fecisse. —

Iam pergamus disputare de altero qui additur cantu. Quem praecedunt interloquentis poëtae duo versus (61, 62) quam maxime inconditi, cuius generis vv. 28—32 esse vidimus, ut hi et illi eundem versificatorem prodere videantur. Nam forma metrica versus 61 in genuinis idylliis, ut Kunstius l. l. p. 46 computavit, intra ducenos versus semel, versus 62 intra trecenos bis exstat, et si praeterea caesuras insolenter fieri reputemus, tales versus etiam rarius inveniuntur; accedit eodem, quod pauci eiusmodi versus, qui apud Theocritum leguntur, per emendationem partim faciliores facti numero minuuntur.

Neque dubium est, quin versus 61 etiam vocibus absonus verbaque *δι' ἀμαβαίων* et *ἐξᾶρχε* resipiant exilem modulandi facultatem interpolatoris, atque etiam, ut omnes, si quae remanent, dubitationes de eius opera diluantur, eum manifestum ac deprehensum habemus voce Attica *ᾠδάν* (62), quam falso scripsit pro Dorica et Theocritea *ἀοιδάν*. Recognoscite omnia poëtae idyllia, iam vobis persuadebitis eum semper et constanter vocis formam distractiorem (*ἀοιδά*) eamque summatim circiter duodecies[1]) posuisse, dummodo nonum idyllium, quod ipsum fide Theocritea addubitandum est, ex illis excipiamus.

Quodsi a versu 63 orditur alterum canticum alternum et bipartitum inter cantantes, merito miramur et quaerimus, cur

---

poëtam? Et alia quoque sunt incerta et obscura. Cf. Fritzsch. in argum. p. 258 et ad v. 56h. Ribbeck. preuss. Jahrb. 1873 p. 85. Valckenar. epist. ad Roever. p. 9 sqq. Brinker. l. l. p. 28; Hiller. ad vv. 59—60. — Ceterum non difficile esse eiusmodi strophas concinnas ad alias excogitare ostenderunt cum Graefius (ap. Kiessling. ad v. 49) et Koechlyus l. l., quorum uterque ad vv. 49—52 unam stropham suppleverit, tum Fritzschius qui tres strophas supplendi causa adscripserit, quae quidem *παίγνια* non illepida, sed inutilia sunt ei qui vera exploraturus est. —

[1]) Falsa est computatio Brinkeri l. l. p. 29, cum undetricies vocem *ἀοιδά* exstare dicit; nam versus intercalaris id.[1] I. undevicies repetitus instar est unius exempli. — Bio et Moschus videntur promiscue *ἀοιδά* et *ᾠδά* scripsisse, sed incertum est; cf. Bion. VI, 11 *ᾠδά* (corr. *αὐδά*), Mosch. in epith. Bion. *ἀοιδά* in vv. 12. 53. 99, *ᾠδά* in vv. 15. 96; huius tamen carminis auctor fortasse non est Moschus (cf. Buecheler. in Mus. Rhenan. vol. XXX p. 33—40). —

Epigr. u. Skol. Giessen 1893, p. 189 hanc rem obiter perstringit, cum scribit in adnotatione: „Dass es (id. VIII) zwar nicht von Theokrit, aber immerhin sehr alt ist, werde ich aus der Gestaltung der Daphnis-Sage später noch näher zu erweisen suchen“. Cf. id. p. 259, ubi tamen ut toto libro v. d. scite disputat de variis rebus, nihil demonstrat.

Haec habui de idyllio VIII quae dicerem et iudicarem. Ut in singulis rebus locisque errare potuerim, de summa rerum certe non erravi.

---

non habet, ad quod referatur, ut ad amissam potius sententiam spectare videatur; quam rem cum Hiller interpretatur verbis: *καὶ* (= auch) steht darum, weil der allgemeine Gedanke vorschwebt: „auch an mir (wie an anderen jungen Hirten) finden die Mädchen Gefallen“, infert videlicet loco sententiam, quae exprimi potuit aut debuit, non exprimitur. Quod quam recte nos reprehendamus, elucet ex compluribus aliis exemplis Theocriteis, quae conferri velimus: IV, 9. V, 90. 96. 106. 114. 122. VII, 37. 92 (quibus allatis simul conspicuum fit pro *κἄμ'*, quod vulgo exhibetur, scribendum esse *κἠμ'*, cf. etiam IV, 4 et II, 159).

Sed proximum colon (74, 75):

οὐ μὰν οὐδὲ λόγων ἐκρίθην ἄπο τὸν πικρὸν αὐτᾷ,[1)]
ἀλλὰ κάτω βλέψας τὰν ἀμετέραν ὁδὸν εἷρπον.

cuius sententia cum antecedente conexa est, ob id ipsum speciem habet interpolationis atque etiam propter alias res, quas protinus explicabimus. Primum igitur quod *ἐκρίθην ἄπο* dicitur pro *ἀπεκρινάμην*, neque ferendum est neque excusandum; de qua re omnium fere criticorum consensus est, velut Lobeckius ad Phrynich. p. 108: *εἰδὼς οὖν τοῦτο ἐπὶ μὲν τοῦ ἀποδοῦναι τὴν ἐρώτησιν, ἀποκρίνασθαι λέγε, ἐπὶ δὲ τοῦ διαχωρισθῆναι, ἀποκριθῆναι* adnotavit cum alia tum haec: ‚neque *ἀποκριθῆναι* unquam quisquam pro *ἀποκρίνασθαι* veteres[2)] usurpasse demonstret'. Et Meinekium (p. 479) quoque laudamus, quod Machoni poëtae satis ignobili, qui eadem verbi forma usus esse fertur, sed in Chriarum opere vulgari sermone scripto (exstant autem duo exempla apud Athenaeum VIII, p. 349 et XIII, p. 577), magnam non tribuit auctoritatem, cui etiam Buecheler (Jahrb. f. klass. Phil. 1860 p. 348), quamquam cetera contrarie iudicat de hoc carmine, assentitur his verbis: „Begründet dagegen ist der Tadel von *ἐκρίθην ἄπο* späterer

---

1) Var. *λόγον* (m). — *τὸ πικρὸν* schol. in l. habet. Versum a principio male factum coniecturis temptare vix opus est. Ceterum versus sententia bene intellegitur: ‚Fürwahr ich gab ihr das kränkende Wort nicht einmal zurück, sondern ich ging u. s. w.'; dicitur enim *λόγων* i. e. verborum, quae pronuntiare poteram, et *τὸν πικρὸν* i. e. hoc (verbum) modo per ludibrium dictum. Manet tamen in v. duritas dicendi. —

2) Apud scriptores serioris graecitatis: Polybium, Diodorum, Josephum, Lucianum eum verbi usum sane frequentatum videmus. —

Graecität". Et rectissime Meinekius: ‚illud ἀπεκρίθην igitur, inquit, ipsius poëtae vitium est', accuratius vero ei dicendum fuit ‚interpolatoris'. Neque tamen silentio praetermittendum est illud memorabile ac simile ἀμείφθην in id. VII, 27, etsi non dubitamus, quin id huic loco, quoniam sunt verba diversa, excusationem vix afferat. Cf. ὑποκρίνοιτο in id. IX, 6 (i. e. in parte haud dubie insitiva) et ipsum insolens scriptum, contra I, 92: ποτελέξατο, 100: ποταμείβετο. Ceterum orationis asperitas in hoc versu tmesi etiam molestior fit. — Ac ne alter quidem versus qui sequitur (75) caret vitiosa dicendi ratione (cf. etiam Kunst. l. l. p. 48); nam cum legimus τὰν ἁμετέραν ὁδὸν εἷρπον, non minus insolens aut inepta enuntiatur Graeca sententia, quam si poëta nostras diceret: ‚ich ging unseren Weg'. Cf. contra Bion. XII, 1: αὐτὰρ ἐγὼν βασεῦμαι ἐμὰν ὁδόν. Ipsis igitur oculis videmus, quales artes interpolator adhibuerit ad duos hos versus fabricandos. — Cetera vero disticha omnia quod tribuamus eidem versificatori, non habemus. Quaecunque viri docti alius aliter atque alibi in dubitationem suspicionemque vocaverunt, ea non sunt tam magni momenti, ut magnopere poëtae orationi adversentur. Itaque dissentimus a Brinkero (l. l. p. 29), qui ‚hunc cantum Theocriti non esse propter verbum νέμειν v. 66 insolenter usurpatum' censuerit. Verum est νέμειν[1]) cum notione ‚pascere' (agere) insolenter apud Theocritum quidem nos scriptum videre (cf. usitata ap. Th. verba pascendi in tab. p. 53); attamen alibi nonnunquam occurrit is verbi usus, ut apud Homerum Od. IX, 233 legimus idemque absolute: εἶος ἐπῆλθε νέμων. Cf. etiam Herod. I, 110: νομὰς νέμοντα. Xen. Cyr. III, 2, 20: ὄρη νέμειν — οἱ νέμοντες — νέμειν — νέμοιτε. Sed aliud est, si semel in poëtae carminibus formam insolentem admitti volumus, aliud, si eadem quater etiam in uno carmine invenitur, ut est in huius idyllii v. 2, 40, 52, 66. Neque igitur in v. 67 illud unum νέμοντα tantum valet, ut Theocriteam auctoritatem iure versibus detrahere possit. Ceterum emendatio loci facile efficitur, si scribimus νομεῦντα (νομέοντα); de voce νομέω cf. Lobeck. ad Phryn. p. 590. — Deinde immerito in voce ὄκκα (v. 68)

---

[1]) Aliam vim habet νέμων in id. XVII, 69 et XXV, 171 (epigr. XIV, 1 et XXIII, 1). —

propter *α* productum offendit Meinekius adnotans (l. l. p. 468 ad h. v.): ,Th. *ὅκκα* constanter in ultima corripere'; sed ille parum diligenter de ea re percontatus est poëtam, apud quem res ita se habet: *ὅκκα* cum elisione vocalis *α* scriptum est his locis: I, 87. IV, 56. XV, 144; *ὅκκᾱ γλυκύς* legitur in XI, 22 et 23, sed *ὅκκᾰ θύωντι* in IV, 21, contra quod exemplum stat hic locus *ὅκκᾱ πάλιν;* atqui et longum quoque *α* potuit elidi et *ὅκκα* contractum est ex *ὅκα κᾱ,* ut Hillero assentiendum sit dicenti (ad h. v.): ,*ὅκκᾱ* ist die correcte Messung'. Idem senserunt Buecheler (l. l. p. 348) et Brinker (p. 29). Atque ut *αἴ κᾱ* semper *α* producto (cf. I, 4. 5. 9. 61. V. 21. VII, 55. XI, 61) posuit poëta, attamen *αἴκ'* scripsit *α* eliso V, 51, ita prorsus eadem ratione scribi debuit *ὅκκᾱ* et potuit tamen *α* elidi: Egomet igitur censeo rectius *ὅκκᾱ* metiendum fuisse poëtae, sed nihilominus eidem licuisse scribere *ὅκκᾰ* atque etiam *ὅκκ'* abiecto *α,* sicuti factum est[1]).

Tum versu 73:

τὰς δαμάλας παρελᾶντα καλὸν καλὸν ἦμεν ἔφασκεν

collato cum id. V, 89:

τὰς αἶγας παρελᾶντα καὶ ἁδύ τι ποππυλιάσδει

(cf. etiam id. III, 6/7 et id. XX, 30) imitationem in his pro re comperta non habemus, praesertim cum identidem in idylliis tales verborum sententiarumque repetitiones inveniamus; cf. V, 88 cum VI, 6; — V, 85 cum VI, 8; — V, 89 cum III, 6 sqq. (cf. etiam p. 39 h. disp.). —

Quae cum ita sint cumque praeterea colore vere Theocriteo singula disticha videamus ornata, non est, cur eos versus a poëta necessario abiudicemus[2]); possunt tamen iidem nihilosecius alius auctoris esse; at certe sunt poëtae, non versificatoris; quidni cogitemus de Bione aut Moscho, quippe quorum reliquiae parum acute dispicienti propter orationis et argumentorum similitudinem nimirum Theocriteae videri possint, ut exempla sane demonstrant. — Atque eosdem versus postea

---

[1]) Coniecturae igitur hoc loco sunt inutiles; si qua opus est, Meinekii emendatio: *ὅκκ' αὖ πάλιν* est facilis et bona; cf. IV, 48: *ἴδ' αὖ πάλιν ἅδε ποθέρπει.* V, 149. — Codicum *h* et *s* lectio: *ὅκκ' ἂν* videlicet orta est ex mente insipienti veteris alicuius grammatici. —

[2]) Idem iudicat contra Brinker. etiam Legrand. l. l. p. 16. —

demum in hunc ordinem coniunctionemque redactos esse, sed principio alia dispositione alioque consilio scriptos fuisse vel maxime conspicuum est et versu 76[1]), quod deest inter eum versum et antecedentes omne vinculum non minus sententiarum quam verborum, et versu 63, quod Menalcae ut opilioni ad Theocriteam quidem rationem dicendum non fuit de capellis (cf. p. 52 sqq.); quem versum etiamsi apud Stobaeum (flor. 78, 2) traditum sic videamus:

φείδευ τῶν ἀρνῶν, φείδευ λύκε τῶν ἐρίφων μευ

versamur in iisdem angustiis, nisi forte (cum Meinekio) *τῶν ἀρνῶν* priore loco, non *τῶν ἐρίφων* altero loco in idyllium recipimus, quod ne faciamus, ratione impedimur. Itaque nescio an re vera versus 63—70 diverbii partes fuerint distributae inter opilionem et caprarium hoc fere modo:

αἰπόλος.

63 *φείδευ τῶν ἐρίφων, φείδευ, λύκε, τᾶν τοκάδων μευ,*
64 *μηδ' ἀδίκει μ' ὅτι μικκὸς ἐὼν πολλαῖσιν ὁμαρτέω.*

ποιμήν.

65 *ὦ Λάμπουρε κύον, οὕτω βαθὺς ὕπνος ἔχει τυ;*
66 *οὐ χρὴ κοιμᾶσθαι βαθέως σὺν παιδὶ νέμοντα.*

αἰπόλος.

69 *σίττα νέμεσθε, νέμεσθε, τὰ δ' οὔθατα πλήσατε πᾶσαι,*
70 *ὡς τὸ μὲν ὥρνες ἔχωντι, τὸ δ' ἐς ταλάρως ἀποθῶμαι.*

ποιμήν.

67 *ταί δ' ὄιες, μηδ' ὕμμες ὀκνεῖθ' ἁπαλᾶς κορέσασθαι*
68 *ποίας· οὔτι καμεῖσθ', ὄκκα πάλιν ἅδε φύηται.*

---

[1]) In hoc versu ineptissime *τὸ πνεῦμα* interpretantur *τῆς πόρτιος* et bonus Vossius erravit, cum verteret v. 76: ‚Lieblich ist der Kalbe Getön, und lieblich ihr Odem', sed vertendum est recte sic: ‚Lieblich ertönt die Stimme des Kalbes und Windesgesäusel' vel ‚und lieblich die Flöte'. *Τὸ πνεῦμα* igitur eadem fere vi accipiendum est ac *ψιθύρισμα* I, 1, sed ambigitur, utrum flatum lenium ventorum — nam in eo quoque est *φωνή* cf. I, 1 sqq. — an fistulae interpretemur; prius tamen ut magis condicioni consentaneum anteferamus; nam qui fervida aestate sub divo moratur, ei ventorum flatus et corpora refrigerans et susurrans in arborum frondibus iucundissimus est. Cf. Thuc. IV, 26 (*πνεῦμα* = ventus). — Verg. ecl. V, 82. —

Verba *μηδ' ὕμμες ὀκνεῖθ' κτλ.* in hac dispositione probe spectant ad versus antecedentes, quibus caprae impelluntur ad pascendum (= „und ihr Schafe, seid auch ihr nicht säumig“ nämlich wie die Ziegen). Atque colon tertium bene refertur ad capras, quae quidem pecora magis quam oves sint idonea, quae ubera lacte impleant. Itemque in colo altero de ovibus cogitandum est, cum canis sit notus ille comes gregis ovium (ut V, 106; VI, 9; sed VIII, 27 in parte spuria). In colis primo et quarto est nulla ambiguitas dicendi. Et versus 72 sqq. similiter in cola concinna disponi posse postea significabimus.

Principia vero et fragmenta, a quibus inceptum et amplificatum est totum idyllium[1]), fuisse haec disticha conicimus cum aliis de causis tum ex eo, quod is qui exordium carminis fecit ex verbis Menalcae *μικκὸς ἐών* et *σὺν παιδὶ νέμοντα* colligere potuit puerilem quam ibidem effinxit aetatem pastorum, tum ex vv. 65, 67, 70 Menalcam esse ovium pastorem, ex vv. 73, 76, 80 Daphnim esse bubulcum, denique ex v. 66: *νέμοντα* repetisse videtur illud *μᾶλα νέμων* (v. 2).

Reliquum est, ut extremum idyllium penitus introspiciamus (81—93). Atque in v. 81 agnoscimus stilum eiusdem qui versus 28/29 scripsit. In versibus, qui inde sequuntur (82—87) quibusque caprarius arbiter ascitus certamen diiudicat Daphnimque victorem declarat, similitudo quaedam et dicendi et cogitandi cum epilogo id.[i] I (146—152) impressa est, ut de his quoque dubitemus, utrum poëtae imitantis an ipsius Theocriti sint. Huic sine causa Brinker (p. 30) eosdem abiudicat; ‚propter verbum *μέλπεσθαι* (83), ait ille, quod Th. nusquam praebet.‘ At si idem v. d. diligentius circumspexisset in idylliis, invenisset in id. XVII, 113 *λιγυρὰν ἀναμέλψαι ἀοιδάν*[2]). Commemoratione autem dignum est, quod Bio verbum *μέλπειν* posuit II, 4. V, 4. VI, 8 idemque *κρέσσων* I, 55 et *κρέσσονα* XVI, 2 (id. XX, 43), hoc tamen nusquam Theocritus. Cf. Mosch. III, 19. 96 (*μέλπειν*), epigr. V, 4: *μελπόμενος*. — Et in his quoque versibus neglectum est, quod pueri sunt ii, qui canendo

---

[1]) Cf. Legrand. l. l. p. 16: «les vers 63—70, 72—80 (77), qui peuvent être les débris d'un poème théocritéen placé primitivement dans le Corpus à côté des pièces authentiques.»

[2]) Cum Brinkero errat Legrand. l. l. p. 16, qui v. d. satis habet unius fere Brinkeri argumenta et dubitationes in hac re aestimare.

certaverunt; nam arbitrum, qui Daphnidi victori, si ipsum eam artem docuerit, pro mercede donaturus sit capram egregiam, possessorem gregis atque eum pueris multo maiorem natu cogitandum puero Daphnide uti velle magistro artis canendi parum credibile est. Cf. V, 36 sq. et v. 15 sq. h. id. Quod respicientibus nobis versus 82—87 in formam huius idyllii vix quadrare videntur, sed utrum Theocriti ipsius an imitatoris sint, incertum est; arte tamen ii versus maxime aequare videntur elegiacos.

Commodissime hoc loco (87) idyllium potuit finiri. Adduntur tamen haec:

88 *Ὣς μὲν ὁ παῖς ἐχάρη καὶ ἀνάλατο καὶ πλατάγησε*
νικάσας, οὑτῶς ἐπὶ ματέρι νεβρὸς ἅλοιτο.
ὡς δὲ κατεσμύχθη καὶ ἀνετράπετο φρένα λύπᾳ
ὥτερος, οὕτω καὶ νύμφα γαμεθεῖσ' ἀκάχοιτο.[1])
κὴκ τούτω πρᾶτος παρὰ ποιμέσι Δάφνις ἔγεντο,
93 *καὶ Νύμφαν ἄκρηβος ἐὼν ἔτι Ναΐδα γᾶμεν.* —

Neque vero quisquam, si versus sex ultimi abessent, eos desideraret. Hic epilogus non solum supervacaneus est, sed recognoscimus etiam in eo additamentum interpolatoris illius imprudentis, qui orationem in hac quoque parte variis dicendi vitiis mendisque non inquinare nescivit. Primum aequabili illa conformatione sententiae particulis comparativis *ὡς* — *οὑτῶς* et *ὡς* — *οὕτω* structae nos quidem dicendi vim attenuatam orationemque inficetam sentimus. Cf. contra in id. XVIII, 26 sqq. multo prolixiorem orationem comparativam. — Itemque cum legimus v. 91 *καὶ νύμφα γαμεθεῖσα* et subinde v. 93 *καὶ Νύμφαν* — *γᾶμεν*, dicendum est versificatoris esse, non poëtae in eadem verba vel verborum copulationes paucis intermissis usque recurrere, id quod aliis locis huius poëmatis identidem animadvertimus. Quibus rebus etiam gravius ferendum est, quod bis (v. 89 et 91) nudus optativus potentialis sine *κεν* collocatur[2]), quae est dicendi licentia inaudita et aliena a Theocrito, eaeque particulae, quamquam sine ulla difficultate inseri possunt, tamen libris neutro loco traduntur, ut certe librariorum culpa omissae non sint. Et verba sententiaeque v. 88 *ὡς μὲν ὁ παῖς ἐχάρη καὶ ἀνάλατο καὶ πλατάγησε νικάσας* admodum

---

[1]) De [illegible] et 91 cf. Kunst. l. l. p. 26, 48, 51. —
[2]) [illegible]

spectant ad id. V, 141 sqq. — cf. καχαξῶ = ἐχάρη et ἐς ὠρανὸν ἁλεῦμαι = ἀνάλατο. Praeterea quanta festivitate res illustrata est in id.° V exeunte et quam ieiunam videmus orationem descriptionemque in id.° VIII. — Tum vero crux quodammodo interpretum est enuntiatum καὶ νύμφα γαμεθεῖσ' ἀκάχοιτο, quod quidem quid sibi velit perspicitur, sed vitiose et inscite profertur; inepta enim est illa comparatio, quod novae nuptae communi more ac consuetudine fere non solent lugere, contra potius laetari ipsis antiquis temporibus; velut scriptum legimus, quanta hilaritate laetitiaque Helenae nuptiae carmine XVIII a puellis nuptialibus celebrentur; vitium autem exsistit eodem loco, quod et γαμεθεῖσα (quod vulgo editur, etiam in a. s.) est aoristi forma insolentissima neque altero exemplo confirmata, verum serioris graecitatis exemplum idem atque illud ἐκρίθην ἄπο, et γαμηθεῖσα (codd. m. p. k. traditum) turbat videlicet numeros versus. Atque etiam verbum κατεσμύχθη (cf. id. III, 17) hoc loco non recte scriptum est, cuius sensus communis est tabescere aegritudine aliqua animi, maxime amore. Et proximi versus verbis παρὰ ποιμέσι (opilionibus) apertissime proditur interpolator ignarus παρὰ νομεῦσι (cf. id. VII, 28) = pastoribus Theocritum scripturum fuisse (cf. p. 52 sq.).

Summam denique discrepantiam contulit in Theocriti idyllia is qui versus extremos addidit; persuasurus enim legentibus, ut fabulosus ille heros pastoralis in hoc idyllio repraesentaretur sub nomine Daphnidis, non ignobilis pastor aliquis[1]), ei nubentem fecit Naïda nympham (cf. etiam v. 2 ὡς φαντί). Quae res vel gravissima paulo accuratius explananda est.

Daphnidis igitur nomen celeberrimum apud Siculos vulgaribus quoque pastoribus fuisse intellegimus ex idd. VI, IX, XXVII. Ubicunque vero fabulosi illius Daphnidis in idylliis mentio fit, is non ipse agens inducitur, sed poëta alios pastores

---

[1]) Quod qui negat, ut Holm. Gesch. Siciliens II, p. 316, cum dicit: „Man muss nicht glauben, dass der Daphnis dieses Idylls (8) derselbe mit dem mythischen Daphnis des ersten ist“ et p. 498: „In Idyll 6 und 8 sind es gewöhnliche Hirten, die den Namen Daphnis führen“, eodem iure potest negare: bis bina quattuor esse. Alia quoque commenticia de Th. vita et carminibus idem v. d. in medium protulit. — Contra cf. Croiset. l. l. V p. 197. —

de eius persona nempe ut fabulosa dicentes facit; itaque in id. V, 80 Comatas pastor eum commemorat his verbis:

ταὶ Μοῖσαί με φιλεῦντι πολὺ πλέον ἢ τὸν ἀοιδόν | Δάφνιν·

ita in id. I, 19 et id. V, 20 *τὰ Δάφνιδος ἄλγεα* etiam in proverbio versantur, itemque in id. VII, 73 sqq. Tityri (sub quo nomine fortasse Alexandrum Aetolum latere Meinek. opinatur) carmen de Daphnidis amore et doloribus strictim refertur, uberius tamen eadem res in praeclaro illo hymno idyllii I, v. 64 sqq. narrata est. Ex quibus maxime sequitur, ut Theocritus de fabula Daphnidis semper unam eandemque cogitationem et argumentum animo conceperit carminibusque effinxerit. Hoc quidem eo magis observandum et contendendum est, quod eam fabulam per saecula et a grammaticis et a poëtis satis variatam atque exornatam vel deformatam esse ex iis quae ad nos pervenerunt testimoniis[1]) affatim apparet. Quotquot viri docti operam dederunt, ut fabulam Daphnideam temporibus et oblivione obscuratam satis ex tenebris eruerent, quidquid divinando excogitaverunt, res adhuc lucem desiderat[2]). Sed ad nostrum propositum interest non tam quaerere, quodnam fuerit omnino eius fabulae argumentum[3]), quam si fieri potest statuere, quo modo vel qua forma Theocritus illam

---

[1]) Cf. scholl. ad id. VIII, 92. 93. — Parthen. (Timaeo Siculo auctore) 29. — Aelian. var. hist. X, 18. — Diodor. Sic. IV, 84. — Servium ad Verg. buc. V, 20 et VIII, 68. — Philargyr. ad Verg. buc. V, 20. — Ovid. art. am. I, 732. Metam. IV, 277. —

[2]) Cf. C. Fr. Hermann., de Daphnide Th., Gott. 1853. — Hempel. quaest. Theocr. diss. Kil. 1881 p. 62 sqq. — Brinker. l. l. p. 30, apud quos reliquas commentationes de eadem re laudatas invenias. — Novissime de hac re Reitzenstein. l. l. p. 193 sqq. et p. 243 sqq. disseruit obscuraque nonnulla in lucem protulit.

[3]) Ceterum eius formam testimoniis veterum vulgatam P. Decharme, vir doctissimus atque praeclarissimus, (Mythologie de la Grèce antique. Paris 1879) breviter et elegantissime sic adumbravit, p. 460: «. . . Cependant une nymphe s'était éprise de Daphnis: c'était Lyké (la lumineuse). Elle obtint de lui la promesse qu'il ne connaîtrait jamais d'autre amour que le sien, menaçant de le rendre aveugle s'il manquait à sa parole. Pendant longtemps, Daphnis sut résister aux mille tentations qu'il rencontrait sur la route: mais un jour, il se laissa enivrer par la fille d'un roi et céda à son car[illegible] douce lumière, Daphnis essaya en vain de se [illegible] chants et du jeu de son chalum[illegible]

noverit. De qua re quamquam poëta non plane, sed partim nos certiores facit, quoniam illo hymno tantummodo de moribundo Daphnide agitur, tamen quae comperimus sufficere videntur, ex quibus enucleare possimus, quae ad nostrum negotium necessaria sunt.

Daphnidi igitur, ut aiunt, dolores ferendi sunt atque in flore aetatis moriendum est. Quod cur ei acciderit, anquirentes amoris doloribus eum contabefactum esse videmus ex id. I, vv. 85, 93, 130 (*ἦ γὰρ ἐγὼν ὑπ' ἔρωτος ἐς Ἅιδαν ἕλκομαι ἤδη*). Et ii ipsi quomodo orti sint, ut divinemus magis quam ut noscitemus, maxime sunt memorabilia et insignia Veneris verba (id. I, 97 sq.):

κεῖπε· „τύ θην τὸν Ἔρωτα κατεύχεο Δάφνι λυγιξεῖν·
ἦ ῥ' οὐκ αὐτὸς Ἔρωτος ὑπ' ἀργαλέω ἐλυγίχθης;"

et ea quae Daphnis ad haec respondet (vv. 100 sqq.):

Κύπρι βαρεῖα,
Κύπρι νεμεσσατά, Κύπρι θνατοῖσιν ἀπεχθής·
ἤδη γὰρ φράσδῃ πάνθ' ἅλιον ἄμμι δεδυκεῖν;
Δάφνις κὴν Ἀίδα κακὸν ἔσσεται ἄλγος Ἔρωτι.

Ex quibus intelleguntur haec: Daphnis aliquando Amori se repugnaturum esse gloriatus erat; postea tamen Veneris opera, ut videtur, factum est, ut amore ac desiderio puellae alicuius[1]) caperetur et sollicitaretur. At is quo servet promissum, quam maxime enititur — talis autem conspicitur in id.[1] I[1] hymno Thyrsidis —, ut voluptatem fugiat. Itaque dum animus eius agitatur inter duas res contrarias, libidinem et continentiam, idem non succubuisse videtur voluptati, sed in luctamine tanto fieri non potest, quin vires corporis consumat ac conficiat, ut

[1]) Haec puella id. I, 82 simpliciter nominatur *ἁ κώρα*, id. VII, 73 *Ξενέα(ς)*, quod tamen nomen utrum sit proprium an appellativum, ambiguum est et cum ipsi deliberamus et cum codices scholiaque inspicimus (var. etiam *ζενίας* in p). Aliis auctoribus ea puella est nympha, cuius nomen variatur (Naïs, Echenaïs, Thalia, Pimplea, Nomia, Lyca); Parthen. (29) etiam refert praeter nympham Echenaïda puellam regiam aliquam (*ζένεα* = peregrina illa?) in Daphnim arsisse eumque vino ebrium factum ad concubitum secum pellexisse. Videmus igitur ex his fabulam iam non genuinam et simplicem esse, sed amplificatam atque fortasse etiam cum aliis contaminatam. Exempli gratia moneamus de fabula Aristaei, cf. P. Decharme, l. l. p. 459 sq. —

vita eius exstinguatur. In hac igitur rerum condicione et argumento versatur fabula Daphnidea, quam quidem a Theocrito tractatam cognoscamus[1]).

Redeamus nunc ad exitum idyllii VIII, unde deflexit oratio. Non dubium est, quin is qui versus 92 et 93 adscripsit mirum quantum discrepet ab ea fabulae forma quam Theocritus expressit atque excoluit carminibus, ut non credamus hunc esse versuum auctorem. Enimvero non discrepantia solum nascitur hoc loco, sed ineptiae etiam illatae videntur fabulae, quae sollertia inventa et lepore distincta est; nam Daphnim facere ducentem nympham uxorem idem est atque vim fabulae aut pervertere aut demere; neque vero ulla alia re fit manifestior opera interpolatoris insipientis, qui quidem elegantiam fabulae male novit et parum sensit[2]).

Denique attendatis velim animos ad illud, quod Daphnis amatorius et γυναικοφίλας in illo quidem elegiaco carmine congruenter cum vv. 92/93, discrepanter a vera fabula depingitur, sed idem in altero cantu hexametro pudibundus et puellas fugiens invicem congruenter cum ipsa fabula, discrepanter a vv. 92/93 cogitatur.

Iam singulas res quae animadvertendae fuerunt in hoc carmine pedetemptim et gradatim pertractavimus. Quodsi omnia adhuc deliberata atque explanata comprehendimus summamque ex iis conficimus, de idyllio VIII iudicandum est id quod tribus exprimamus sententiis his:

---

[1]) Cum hac fabulae cogitatione luculente etiam convenit sensus nativus, qui fortasse ei subest et fere subici solet: Daphnis autem putatur imago nivis verno tempore tabescentis vel omnino hiemis exeuntis (cogitandum est de altis montibus regionum meridionalium praecipue nivibus opertis; cf. id. XI, 48 et VII, 76 sqq.). Altera huius fabulae interpretatio speciosissima datur a P. Decharme, l. l. p. 461, his verbis: «Daphnis, c'est donc sans doute le beau soleil qui, chaque jour, fait paître ses brillants troupeaux, qui, au matin de sa vie, aime l'aurore et en est aimé, qui plus tard s'éloigne d'elle, qui, pour prix de son infidélité, est aveuglé par la nuit et disparaît bientôt derrière les hautes cimes.» — Fabula fortasse non in ipsa Sicilia nata est. Cf. C. Fr. Hermann. l. l. p. 19 de sententia fabulae. — Cum Theocriteae fabulae conceptione congruit Vergiliana in ecl. V, 20 sqq. —

[2]) Cf. etia

primum idyllium hoc non potest conscriptum esse a Theocrito ea quam traditam videmus forma;

deinde omnino vix compositum est ab uno eodemque homine, sed videtur conglutinatum esse ex partibus diversis scriptis a diversis auctoribus;

tertium genuini et fortasse Theocritei possunt existimari vv. 63—70, 72—80 (omissis vv. 74, 75, 77), 82—87.

Denique colligamus iudicia nonnulla doctissimorum virorum de eadem re facta atque idonea ad stabilienda ea quae supra diximus. **Valckenarius** quidem postquam in editione sua adnotavit: ‚non videtur mihi ecloga Theocritea (scl. VIII)', iam in epistula ad Roeverum (p. 15 sq.) non totum idyllium abiudicat a Theocrito, sed singulas eius partes et versus. Cuius viri docti iudicium acriter perstringens **God. Hermannus** (op. vol. V, p. 82 sq.) censuit huius carminis genuinum quoddam, sed decurtatum argumentum prius auctum esse elegiaco carmine, postea autem omnes partes a grammatico aliquo de suo quaedam addente in unum coniunctas esse. — **Ahrensius,** qui vir doctissimus de recensendis poëtis bucolicis optime meritus est, adnotat haec (cf. Bucol. Graec. reliquiae 1855 tom. I, p. 63): huius (VIII) carminis maior pars vv. 1—63 genuina haberi nequit, sed a recentiore quodam, frustulis quibusdam Theocriteis uso, addita esse videtur. **Meinekius** quoque similiter iudicat, cum dicit (ed. III, 1856 p. 476): hoc carmen, quo magis considero, eo magis nunc in eorum sententiam concedo, qui non partes aliquas, sed totum a Theocrito abiudicant. Itemque **Hiller** (ed. Fritzsch. Hill. p. 132) verissime fecit hoc iudicium: „Das Gedicht hat viele Eigenthümlichkeiten und auch der ganze in ihm herrschende Ton macht einen von dem Ton der sicher echten bukolischen Gedichte Theokrits wesentlich verschiedenen Eindruck“ [1]). **Brinker,** qui novissimus criticorum de ea re paulo fusius disseruit (l. l. p. 32), ne ullam quidem partem contendit a Theocrito scriptum esse, sed quomodo et a quo viro facta esset compositio diversarum partium huius idyllii, id disquirere supersedere voluit. Denique **Reitzenstein,**

---

1) Cf. Buecheler, Jahrb. f. Philol. 1860 p. 347 sqq.: „es wäre wahrhaft schade, wenn es (c. VIII) dem sicilischen Sänger entzogen werden müsste.“

Epigr. u. Skol. Giessen 1893, p. 189 hanc rem obiter perstringit, cum scribit in adnotatione: „Dass es (id. VIII) zwar nicht von Theokrit, aber immerhin sehr alt ist, werde ich aus der Gestaltung der Daphnis-Sage später noch näher zu erweisen suchen". Cf. id. p. 259, ubi tamen ut toto libro v. d. scite disputat de variis rebus, nihil demonstrat.

Haec habui de idyllio VIII quae dicerem et iudicarem. Ut in singulis rebus locisque errare potuerim, de summa rerum certe non erravi.

Caput II.

De carmine nono.

Omnia eius generis, quae in idyllio VIII improbanda fuerunt, nono quoque carmini inhaerent, sed eo discrimine, ut in hoc ea multo magis in aperto sint. Et rerum magna inter utrumque similitudo conspicua est ipsa inscriptione (k. p. s) pari huic et illi. Atque etiam carminis exordium (1—6):

1 *Βουκολιάσδεο Δάφνι, τὺ δ' ᾠδᾶς ἄρχεο πρᾶτος,*
ᾠδᾶς ἄρχεο πρᾶτος, ἐφαψάσθω δὲ Μενάλκας,
μόσχως βουσὶν ὑφέντες, ὑπὸ στείραισι δὲ ταύρως.
χοἱ μὲν ἁμᾶ βόσκοιντο καὶ ἐν φύλλοισι πλανῷντο
μηδὲν ἄτιμ' ἀγελεῦντες· ἐμὶν δὲ τὺ βουκολιάσδευ
6 *ἔμποθεν, ἄλλοθι δ' αὖθις ὑποκρίνοιτο Μενάλκας.*

— sic autem versus cod. Vaticano (m) exhibentur[1]) — simili ratione atque illius paratum videmus, sed antecedit illud etiam versibus impolitioribus et rudioribus, ut nemo prudens, quin ii essent subditicii, ab aetate Fr. Jacobsii (apud Wuestemann. ad id. IX arg.) dubitaverit. Proinde parcamus multis verbis et summatim modo complectamur ea de quibus affatim disputatum et scriptum et omnium fere vv. dd. consensus est. Offensiones igitur nascuntur ex primo versu spondeo ante caesuram bucolicam posito, ex v. 2 propter anaphoram sine vi adhibitam[2])

[1]) Variatur in v. 2 *πρᾶτος ἄειδε* (p) — *Δάφνι συναψάσθω* (k. p) — *πρᾶτος ἐφεψάσθω* vulgo; in v. 5 *ἄτιμα γελεῦντες* (p) — *ἀτιμαγελεῦντες* (vulgo); in v. 6 praeter *Μενάλκας* nullum verbum est quod non variatur — *ποτικρίνοιτο* (k. p. e). —

[2]) Cf. anaphoram similius, sed elegantius prolatam apud Bion. epit. Adon. 1 sq.: *Αἰάζω τὸν Ἄδωνιν· ἀπώλετο καλὸς Ἄδωνις,*
ὤλετο καλὸς Ἄδωνις, ἐπαιάζουσι Ἔρωτες.

Cf. etiam Il. XX, 371 sq. — Cf. p. 41 sq. Versificator captat hanc dicendi figuram.

et propter insolens illud *ἐφαψάσθω* (postea aperte emendatum in *συναψάσθω*), ex vv. 3 et 4 dicendi ratione perversa (*ὑπὸ στείραισι — ἐν φύλλοισι*), ex v. 5 propter *ἀτιμαγελεῦντες* nove formatum, ex v. 6, quod is traditur quam maxime variatus (cf. Meinek. ad h. v. itemque Fritz-Hiller ad h. vv.).

Sed eae offensiones etiam augentur, si diligentius intuemur locum. Imprimis interpolator coarguitur voce *ᾠδά* (l. 2), quam abhorrere a Theocriti usu supra demonstravimus (cf. p. 57). Tum vero numeri versuum sunt parum bene modulati aut currentes; etenim sex versuum quinque in quarto pede habent spondeum (et primus versus etiam ante caesuram), quales versus cum singuli tum quinque deinceps se excipientes apud Theocritum nusquam inveniuntur. Verum enim seriem talium versuum facere videlicet est contra artis leges simplicissimas, nedum reperiatur in illis una vera caesura bucolica. Deinde sententiam horum versuum considerantes nihil aliud in iis inesse videmus nisi adhortationem canendi verbis expressam aeque inanibus atque iis quae in id. VIII, 30—32 cognovimus; displicet autem oratio, quod eadem adhortatio (vv. 1 et 2) protinus duobus versibus interpositis iteratur, et quod sententia interposita per se inepta ultro perversis locutionibus profertur. Quisquis hoc legerit, iure mirabitur, cur pastores, priusquam canere incipiant, vitulas cum vaccis matribus nutriendi causa et vaccas steriles[1]) cum tauris saliendi causa consocient, quae sententia etiam disturbatur vel obscuratur, cum adiungitur: ‚et hi quidem una pascantur et vagentur in pascuis (*ἐν φύλλοισι*?)'[2]), ut prior sententia paene videatur alio sensu ac quem nos recte ad verba ipsa et e ratione percipere debemus, edita esse eaque fortasse sic: admittite vitulas ad vaccas et iuvencas ad tauros, ut una pascantur, dum vos mihi cantabitis. Si vere hanc sententiam exprimere versificator in animo habuerit, pravis locutionibus rem quam vellet non significantibus inscite usus est. Itaque utut examinamus sententiam locumque, utique omnia obscura aut perversa manent.

---

[1]) Ut *στείραισι* intellegatur ‚iuvencis', vitiosa voce usus est interpolator. — Cf. Verg. ecl. I, 45: submittite tauros = alite tauros. — Od. IX, 245.

[2]) Cf. Od. IX, 449.

Praeterea maxima discrimina inter exordium et ceterum carmen apparent et quod Menalcas in illo bubulcus producitur, in hoc (v. 17) tamen ovium caprarumque pastor cognoscitur (p. 53) et quod interlocutor carminis in illo pastores praesentes et ante oculos suos agentes adhortatur ad canendum, in hoc (v. 22) ita facit, quasi prius aliquod certamen narrando repetat.

Quibus allatis iam dubium non esse putamus, quin ii versus sint interpolati et sine ulla arte aut mente interpolati[1]. Scite igitur Buecheler (l. l. p. 342) iudicavit verbis: „die Verse 1—6 rühren her von einem armseligen Flicker, etwa einem Geistesverwandten des Theocriteers Eratosthenes“ neque aliter nos iudicamus.[2]

At librorum scriptura in his versibus valde fluctuat; visne igitur credere librariorum culpa eos ita corruptos esse, ut spurii videantur esse? Minime. Oleum et operam perderemus, si in tali totius prooemii habitu amplius quaereremus, quae librarii depravassent, quae probabiliora essent anteferenda. Licet autem inter varias lectiones optimae eligantur atque etiam emendationes hic illic accipiantur, ea re neque natura eorum magnopere neque iudicium de iis omnino mutatur. Equidem ego nihil aliud titubatione tanta codicum affirmari censeo nisi ipsam malam versuum indolem, qua veteres grammatici ad corrigendum impulsi sint. Quam ob rem cod. Vatic. (m), qui deteriores scripturas: v. 2 *πρᾶτος* (corr. *Δάφνι*) — *ἐφαψάσθω* (corr. *συναψάσθω*), v. 3 *ὑπὸ* (corr. *ἐπὶ*), v. 6 *ὑποκρίνοιτο* (corr. *ποτικρίνοιτο*) exhibeat, ut minus correctus (in hac quidem parte) genuinas lectiones porrigere mihi videtur.

Sed paulo difficilior est veri exploratio de duabus cantilenis 7—13 et 15—21, quae vulgo solae partes Theocriteae carminis habentur, quod iudicium translaticium primus, quantum videmus, Brinker l. l. p. 33 sq. diluere conatus est. Et qui eos Theocriti esse credunt, concinnitate et lepore quodam decipiuntur parum curantes eas res, quae iure dubitationem

---

[1]) Caput mirum inter vv. dd. habet Zettelius (Blätt. f. d. bayer. Gymn.-Schulw. VI, 11—13), qui Theocritum talia scripsisse credat et iniquo prope animo incredulis obiciat cum alia inania tum haec: „Muss er (Th.) denn stets die ausgetretenen Geleise dahinhumpeln?“ Cum hoc Koechlyus quoque stat (l. l.). —

[2]) Cf. G. Hermann. op. VIII, p. 331 sq. —

movere possint. De concinnitate tamen, quae conspicitur et in pari circuitu cantilenarum et in sententiis conformatis, detrahendum est, quod, versibus 7 et 8 non respectis, demum ad v. 9 sqq. respondent vv. 15 sqq. (*ἔστι δέ μοι παρ' ὕδωρ ψυχρὸν στιβὰς — κἠγὼ καλὸν ἄντρον ἐνοικέω*) et ad sententiam (12, 13):

τῶ δὲ θέρευς φρύγοντος ἐγὼ τόσσον μελεδαίνω,
ὅσσον ἐρῶντι πατρὸς μύθων καὶ ματρὸς ἀκούειν

parum probe formati sunt vv. 20, 21:

ἔχω δέ τοι οὐδ' ὅσον ὥραν
χείματος ἢ νωδὸς καρύων ἀμύλοιο παρόντος,

quae verborum structura (*οὐδ' ὅσον — ἢ* = ne tantum quidem — quam) iure scrupulos interpretibus quibusdam[1]) intulit (cf. Verg. ecl. VII, 51); alii autem non recte explicant opinati *οὐδ' ὅσον* simpliciter pro *ἧσσον* accipi posse. Censemus potius Theocritum, ut semper fere in iis comparationibus facere solet (cf. I, 54. II, 45. 114. III, 50. IV, 39. VII, 97. XII, 3 sqq. XVII, 38 sq., 66 sqq., al.), scripturum fuisse superiori sententiae adaequatum illud *οὐδ' ὅσον — τόσον.* —

Atque evidentissime imitator poëtae incidit in grave dialecti vitium, quod cernitur in voce *παρόντος* (v. 21) quodque porro bis in eodem carmine repetitur v. 27: *οὖσιν* et v. 29: *παρών,* quas tres participii formas alienissimas esse cum a communi dialecto Dorica (cf. Ahrens. de dial. Dor. p. 323) tum a Theocritea dictione clarissime certissimeque ostendere licet. Pro iis enim formis, quae codicibus omnibus constanter et cum fide traduntur, apud Theocritum semper sine ulla exceptione scriptas videmus pleniores vel distractas, quas nunc ex omnibus idylliis colligamus ordineque componamus:

Singularis

Nom. *ἐών* II, 119. VIII, 64 (93). XI, 34. XXII, 153. XXIV, 102. epigr. XI, 6 (Bion. I, 61).
παρεών XIII, 60. — *ἐοῖσα* II, 64 (Mosch. I, 23). *εὖσα* II, 76. —
(*ἐοῦσα* Mosch. II, 45).

---

1) Cf. Schaefer. 20, 21; Wuestemann. ad v. 20: 'Mira haec est sy grammaticae regulas revocanda'.

Gen. παρεόντος XIV, 21. XV, 12. XVII, 10. XXV, 77, 167. — (Bion. VIII, 2). —
παρεῦσας V, 26.
Dat. ἐόντι I, 44.
Acc. ἐόντα II, 100. V, 36. VII, 79. XI, 5. 69. XVII, 58. XXII, 97. XXIV, 1. XXV, 147.
παρεοῖσαν XI, 75. — εὖσαν XXVIII, 16.

Pluralis

Nom. ἐοῖσαι XXVI, 2.
Gen. ἐόντων XXII, 6. XXV, 100. 197.
παρεόντων XIII, 68. — ἀπεόντων X, 8.
Dat. ἐοῦσιν XVII, 69. — παρεοῦσι XXV, 188.
Acc. vacat.

Inde sequitur hic index rationis declinandi part. praes. v. εἰμί:

Singularis

Nom.	ἐών	ἐοῖσα, εὖσα	—
Gen.	ἐόντος	(ἐοίσας), εὔσας	—
Dat.	ἐόντι	(ἐοίσᾳ, εὔσᾳ)	—
Acc.	ἐόντα	ἐοῖσαν, εὖσαν	—

Pluralis

Nom.	(ἐόντες)	ἐοῖσαι (εὖσαι)	—
Gen.	ἐόντων	—	—
Dat.	ἐοῦσι(ν)	—	—
Acc.	(ἐόντας)	—	—

Contra hanc multitudinem exemplorum stant praeter tres illas formas huius idyllii duo loci quibus ὤν legitur, prior in id. VIII, 52, ergo in parte insitiva carminis (cf. p. 54), alter in id. XX, 3, carmine certe spurio. Addimus, ut omnia colligamus: epigr. XI, 6 ἐών, v. 3 ὄντα. — Bion. I, 61 ἐών, 71 ὤν.

Qua re comperta iam non dubium est, quin formae huius idyllii: παρών, παρόντος, οὖσιν Theocriti stilo non scriptae sint. — Atque etiam versu 17, in quo Menalcas idem ovium et caprarum pastor conspiciatur, proditur poëta diversus a Theocrito. Denique accedit, quod hic praepositionis formam πρός, quae legitur in v. 18, vitasse videtur, quia πρός bis (V, 39 et XVIII, 55), contra ποτί circa quadragies intra cc.

I—XVIII occurit, deinde, quod versus 19, cuius in pede quarto et spondeus ante caesuram bucolicam et hiatus non legitimus simul admittantur (*χόρια ζεῖ, | ἐν πυρί* cf. Kunst. l. l. p. 58), parum numerose cadit, quam ut Theocrito adscribamus. — In parte Daphnidis (v. 7—13) vestigia tam certa tamque insignia manus alienae ut in illa parte non deteguntur. Atque Brinker, qui similitudinibus paucis intercedentibus inter hanc partem et alios carminum locos (cf. V, 33/34. 56/57. VI, 16. XII, 9; ceteri loci a Brinkero (p. 34) asciti omnino non afferendi sunt) eos quoque versus (7—13) ‚non Theocriti ipsius, sed imitatoris felicissimi esse' iudicaverit, certe latus apertum, ut ita dicam, dat adversario critico. Sed suspicione semel nata animus incitatur ad quaerendas alias res, quibus illa aut redarguatur aut confirmetur. Neque eae deficiunt in hac parte.

Sententia enim, quae versibus 10 et 11 continetur, habet, quae acuta mente cernenti satis displicere possint. Nam utcunque eam aspicimus, omnia quae de iuvencis (*δαμαλᾶν*) praedicantur, melius rectiusque pertinent ad capras (vel oves): primum non boum, sed caprarum pelles propter maiorem mollitiem maxime idoneae sunt et fere adhibentur et ad corpus vestiendum et ad cubile sternendum (cf. id. VII, 15/16. V, 56/57), deinde epitheton *λευκός* commodius capris datur, ut III, 34; VIII, 49, quam bobus (cf. IV, 20. 45, sed XXV, 129 sqq. tauri sunt albi praeter consuetudinem, ut eximia eorum praestantia et raritas significetur), tum *κόμαρον τραγοίσας* verius dicitur de capris, ut V, 129: *καὶ ἐν κομάροισι κέονται* (nam *κύτισος, αἴγιλος, σχῖνος, κότινος, κόμαρος* a capris praecipue amantur atque eduntur, cf. V, 100. 128. 129. Verg. ecl. I, 78. II, 64. III, 82[1]); et a bobus: *αἰγίπυρος, κνύζα, μελίτεια, ἐλαία* cf. IV, 25. 46. Verg. Georg. III, 300), denique in scopulis praeruptis (*ἀπὸ σκοπιᾶς*) minus boves quam caprae vel omnino pecora vagari solent. Cf. Verg. ecl. I, 74 sqq. II, 21. III, 94/95. Itaque vix errabimus conicientes hunc locum non ab omni parte sanum esse[2]) atque dubitamus, utrum conglutinator *δαμαλᾶν* com-

---

[1]) Dulce satis humor, depulsis arbutus haedis. — arbutus = *κόμαρος*.

[2]) Cur tandem *ἁπάσας* in fine v. 10 corruptum habeatur, causam non video; nam *ἁπάσας* bene ir [illegible] nelles ibi constipatae sunt omnium earum boum, [illegible] do deiecerat. Ceterum si volunt emendatione [illegible] *ἱμάσας* ut XI, 73. —

mutaverit ex primitivo χιμάρων (vel αἰγῶν) — cf. I, 6 et V, 56/57 — fortasse eo consilio, ut ii versus quadrarent ad bubulcum Daphnim, an imitator neglegentius veram rerum naturam observans versus fecerit. Illud vero prius affirmatur, et quod versus 7 et 8 seiungi possunt a sequentibus versibus, quibus nihil detrahatur sententiae, et quod iidem versus (7 et 8) in Menalcae parte, quamquam ratio postulare videtur, neque respiciuntur neque recipiuntur, ut hi duo versus extrinsecus potius agglutinati videantur esse atque antea in alio sententiarum fuisse ordine. Contra ad imitatorem spectant huius partis similitudines quaedam cum aliis locis Theocriteis velut cum id. XI, 46 sqq. — Utrum tamen sit verum, id suspensum tenemus. Verisimile autem est: ne eos quidem versus (7—13) Theocriti manu scriptos esse, saltem non hac forma.

Neque vero ullus poëta, si modo hoc poëma ex unius ingenio procreatum esset, satis habuisset duas cantilenas exiguas tamquam summum idyllii argumentum legentibus proponere.

Cantu igitur peracto adduntur versus 22—27, quibus efficiatur epilogus idyllii, cum tertius aliquis more pastoricio praemia dat duobus cantoribus vel potius narrat se aliquando ea dedisse, quae paulo accuratius describit. De mira et diversa inter hos et exordii versus ratione cogitandi supra dictum est. Ex qua coniciatur oportet utriusque partis auctorem quoque esse diversum. Verum Theocriti tamen auctoritatem illi versus (22—27), etsi reddunt satis novam imaginem et lepidam, certe detrectant, quoniam eius dictioni et ἄν particulam (v. 24) et formam οὖσιν (v. 27) repugnare satis constat. Et forma οὖσιν monemur de eo qui vv. 15—21 (παρόντος) scripsit, et particula ἄν de illo qui id. VIII, 33—60 composuit; utrumque autem invenitur apud poëtas bucolicos minores, quorum in mentionem iterum et saepius incidimus quorumque de arte hoc quoque loco non cogitare non possumus; nam et hi versus quamvis novi ac belli, ad speciem extremi idyllii VI (42—46) videntur effícti esse et illos poëtas scimus notissimos esse Theocriti imitatores. Atque etiam verbo δοκεύσας confirmatur ea opinio; neque enim id verbum apud Theocritum ipsum scriptum reperitur; at apud Moschum III, 62 δοκεύει eadem notione (scl. aucupandi) positum est; cf. vv.

καὶ νῦν λασαμένα τῶ κύματος ἐν ψαμάθοισιν
ἵζετ' ἐρημαίαισι βοὰν δ' ἔτι σεῖο δοκεύει.

Praeterea in simili huic loco sententia rerumque condicione videmus scriptum id. XXI, 42:

εἶδον ἐμαυτόν
ἐν πέτρᾳ βεβαῶτα, καθεζόμενος δ' ἐδόκευον
ἰχθύας,

sed, cum id. XXI sit incerti auctoris, non minus Bionis aut Moschi quam Theocriti esse potest. Iam vero pedi descriptione (vv. 23/24) in memoriam revocatur id. VII, 43/44.

Hac profecto imagine satis speciosa depicta idyllium perbene absolutum haberi potuit. Quam ob rem miramur ac paene stupemus legentes ea quae adiunguntur (vv. 28—36). Quae extrema pars carminis quid sibi velit hoc loco, quaerentibus et interpretibus et criticis semper fere instar fuit aenigmatis. Quicunque id e tenebris in lucem evocare studuerunt, potuerunt proferre coniecturas varias, sed meras coniecturas, plerumque etiam incredibiles. Fritzschius quidem (cf. argum. ad h. id.), cui assensus est etiam Ahrensius, Artemidorum grammaticum hos versus tamquam epilogum collectionis ab ipso institutae de suo addidisse opinatus est, quam ad opinionem ille vir doctus perductus erat epigrammate illo memorabili saepiusque a viris doctis ascito ad disputationem, quod traditur cod. Ambr. (k) ita:

Ἀρτεμιδώρου τοῦ γραμματικοῦ
ἐπὶ τῇ ἀθροίσει τῶν βουκολικῶν ποιημάτων.

Βουκολικαὶ Μοῖσαι σποράδες ποκά, νῦν δ' ἅμα πᾶσαι
ἐντὶ μιᾶς μάνδρας, ἐντὶ μιᾶς ἀγέλας.

Ex hoc epigrammate Fritzschius constituit duplex momentum: prius Artemidorum illum collectionem carminum bucolicorum perfecisse, id quod re vera inde sequitur, alterum eundem Artemidorum, qui epigramma (fortasse in capite collectionis positum) a verbis *Βουκολικαὶ Μοῖσαι* incipiat, epilogum quoque IX, 28—36 ordientem ab iisdem vocibus scripsisse. Sed hoc alterum argumentum fallax atque futile est. Nam cum ipse Theocritus (id. I, 64 sqq. et VII, 49) *ἀοιδὰν* denominaverit *βουκολικὰν* atque etiam in id. I, [illegible] quidem versum Fritzsch. sibi incommodum [illegible] lt, — *Μοίσας*

appellaverit *βουκολικᾶς* (gen.)[1]), hoc epitheton tralaticium usitatumque fuisse et ante (cf. id. VII, 27 sqq.) et post Theocritum neque minus apte Musae quam carmini eius de quo dicimus generis attribui potuisse existimamus. Quin etiam ita tritum illud videtur fuisse posteris temporibus[2]), ut Moschus noluerit scribere *Βουκολικαὶ Μοῖσαι*, sed maluerit III, 8 sqq. *Σικελικαὶ Μοῖσαι; Σικελικός* enim hoc loco nihil aliud esse atque *βουκολικός* elucet cum ex aliis rebus tum ex eiusdem carminis versu 122: *Σικελικόν τι λίγαινε καὶ ἁδύ τι βουκολιάσδεν* atque etiam ex Verg. ecl. IV, 1: ‚Sicelides Musae'. Ergo illa appellatione communi neque singulari ad explorandum auctorem epilogi adminiculum non praebetur.

Ac ne Hiller quidem ‚omne tulit punctum', qui coniecerit[3]) auctorem partis primae et extremae huius idyllii fuisse unum hominem eumque collectorem aliquem bucolicorum; a quo extremos versus nomine Theocriti conditos esse tamquam conclusionem totius collectionis ille similiter ac Fritzschius opinatus est. Nam primi et extremi versus idyllii quantum arte et oratione inter se differant, hominem litteris Graecis eruditum vix fallet. Atque epilogi versus bellissime[4]), exordii ineptissime scripti sunt, in illis saltem poëtae spiritum, in his grammatici alicuius centonem videmus. Quodsi vere Artemidorus aut nescio quis novem illis versibus (28—36) totam carminum collectionem concludere atque peragere voluisset, dubito, an multo clarius et minus obscuris verbis id quod voluit dicturus fuerit. Verba enim ipsa sententiaeque huius partis ita non idonea sunt, ex quibus ea coniectura capiatur, ut ei potius repugnent. Quinam sunt intellegendi *κεῖνοι νομεῖς* (29)? An ii qui in hoc idyllio producuntur, Daphnis et Menalcas? Enimvero fieri non potest, ut *κεῖνοι νομεῖς* ad omnes omnium carminum pastores ut oportet referantur! Tum quid tandem sibi vult *παρὼν ἄεισα*? Nonne hoc absurdum est, si id quod Hiller

---

[1]) Errat igitur in hac re et ipse Croiset. l. l. V, p. 184[3]: «l'expression *Βουκολικαὶ Μοῖσαι*, qui n'est pas de la langue de Théocrite».

[2]) Etiam interpolator in id. VIII, 32 repetivit illud *βουκολικάν* appositum ad *ἀοιδάν*.

[3]) Cf. Burs. Jahrb. 1883 p. 279 sqq.

[4]) Item sensit de ea parte Didot. p. 450: «On y trouve quelque chose de cette noble inspiration que Virgile a si bien sentie et exprimée». —

Epigr. u. Skol. Giessen 1893, p. 189 hanc rem obiter perstringit, cum scribit in adnotatione: „Dass es (id. VIII) zwar nicht von Theokrit, aber immerhin sehr alt ist, werde ich aus der Gestaltung der Daphnis-Sage später noch näher zu erweisen suchen“. Cf. id. p. 259, ubi tamen ut toto libro v. d. scite disputat de variis rebus, nihil demonstrat.

Haec habui de idyllio VIII quae dicerem et iudicarem. Ut in singulis rebus locisque errare potuerim, de summa rerum certe non erravi.

Caput II.

De carmine nono.

Omnia eius generis, quae in idyllio VIII improbanda fuerunt, nono quoque carmini inhaerent, sed eo discrimine, ut in hoc ea multo magis in aperto sint. Et rerum magna inter utrumque similitudo conspicua est ipsa inscriptione (k. p. s) pari huic et illi. Atque etiam carminis exordium (1—6):

1 *Βουκολιάσδεο Δάφνι, τὺ δ' ᾠδᾶς ἄρχεο πρᾶτος,*
ᾠδᾶς ἄρχεο πρᾶτος, ἐφαψάσθω δὲ Μενάλκας,
μόσχως βουσὶν ὑφέντες, ὑπὸ στείραισι δὲ ταύρως.
χοὶ μὲν ἁμᾶ βόσκοιντο καὶ ἐν φύλλοισι πλανῷντο
μηδὲν ἄτιμ' ἀγελεῦντες· ἐμὶν δὲ τὺ βουκολιάσδεν
6 *ἔμποθεν, ἄλλοθι δ' αὖθις ὑποκρίνοιτο Μενάλκας.*

— sic autem versus cod. Vaticano (m) exhibentur[1]) — simili ratione atque illius paratum videmus, sed antecedit illud etiam versibus impolitioribus et rudioribus, ut nemo prudens, quin ii essent subditicii, ab aetate Fr. Jacobsii (apud Wuestemann. ad id. IX arg.) dubitaverit. Proinde parcamus multis verbis et summatim modo complectamur ea de quibus affatim disputatum et scriptum et omnium fere vv. dd. consensus est. Offensiones igitur nascuntur ex primo versu spondeo ante caesuram bucolicam posito, ex v. 2 propter anaphoram sine vi adhibitam[2])

---

[1]) Variatur in v. 2 *πρᾶτος ἄειδε* (p) — *Δάφνι συναψάσθω* (k. p) — *πρᾶτος ἐφεψάσθω* vulgo; in v. 5 *ἄτιμα γελεῦντες* (p) — *ἀτιμαγελεῦντες* (vulgo); in v. 6 praeter *Μενάλκας* nullum verbum est quod non variatur — *ποτικρίνοιτο* (k. p. e). —

[2]) Cf. anaphoram similius, sed elegantius prolatam apud Bion. epit. Adon. 1 sq.: *Αἰάζω τὸν Ἄδωνιν· ἀπώλετο καλὸς Ἄδωνις,*
ὤλετο καλὸς Ἄδωνις, ἐπαιάζουσι ἔρωτες.

Cf. etiam Il. XX, 371 sq. — Cf. p. 41 sq. Versificator captat hanc dicendi figuram.

et propter insolens illud ἐφαψάσθω (postea aperte emendatum in συναψάσθω), ex vv. 3 et 4 dicendi ratione perversa (ὑπὸ στείραισι — ἐν φύλλοισι), ex v. 5 propter ἀτιμαγελεῦντες nove formatum, ex v. 6, quod is traditur quam maxime variatus (cf. Meinek. ad h. v. itemque Fritz-Hiller ad h. vv.).

Sed eae offensiones etiam augentur, si diligentius intuemur locum. Imprimis interpolator coarguitur voce ᾠδά (1. 2), quam abhorrere a Theocriti usu supra demonstravimus (cf. p. 57). Tum vero numeri versuum sunt parum bene modulati aut currentes; etenim sex versuum quinque in quarto pede habent spondeum (et primus versus etiam ante caesuram), quales versus cum singuli tum quinque deinceps se excipientes apud Theocritum nusquam inveniuntur. Verum enim seriem talium versuum facere videlicet est contra artis leges simplicissimas, nedum reperiatur in illis una vera caesura bucolica. Deinde sententiam horum versuum considerantes nihil aliud in iis inesse videmus nisi adhortationem canendi verbis expressam aeque inanibus atque iis quae in id. VIII, 30—32 cognovimus; displicet autem oratio, quod eadem adhortatio (vv. 1 et 2) protinus duobus versibus interpositis iteratur, et quod sententia interposita per se inepta ultro perversis locutionibus profertur. Quisquis hoc legerit, iure mirabitur, cur pastores, priusquam canere incipiant, vitulas cum vaccis matribus nutriendi causa et vaccas steriles[1]) cum tauris saliendi causa consocient, quae sententia etiam disturbatur vel obscuratur, cum adiungitur: ‚et hi quidem una pascantur et vagentur in pascuis (ἐν φύλλοισι?)'[2]), ut prior sententia paene videatur alio sensu ac quem nos recte ad verba ipsa et e ratione percipere debemus, edita esse eaque fortasse sic: admittite vitulas ad vaccas et iuvencas ad tauros, ut una pascantur, dum vos mihi cantabitis. Si vere hanc sententiam exprimere versificator in animo habuerit, pravis locutionibus rem quam vellet non significantibus inscite usus est. Itaque utut examinamus sententiam locumque, utique omnia obscura aut perversa manent.

---

[1]) Ut στείραισι intellegatur ‚iuvencis', vitiosa voce usus est interpolator. — Cf. Verg. ecl. I, 45: submittite tauros = alite tauros. — Od. IX, 245.

[2]) Cf. Od. IX, 449.

Praeterea maxima discrimina inter exordium et ceterum carmen apparent et quod Menalcas in illo bubulcus producitur, in hoc (v. 17) tamen ovium caprarumque pastor cognoscitur (p. 53) et quod interlocutor carminis in illo pastores praesentes et ante oculos suos agentes adhortatur ad canendum, in hoc (v. 22) ita facit, quasi prius aliquod certamen narrando repetat.

Quibus allatis iam dubium non esse putamus, quin ii versus sint interpolati et sine ulla arte aut mente interpolati[1]). Scite igitur Buecheler (l. l. p. 342) iudicavit verbis: „die Verse 1—6 rühren her von einem armseligen Flicker, etwa einem Geistesverwandten des Theocriteers Eratosthenes" neque aliter nos iudicamus.[2])

At librorum scriptura in his versibus valde fluctuat; visne igitur credere librariorum culpa eos ita corruptos esse, ut spurii videantur esse? Minime. Oleum et operam perderemus, si in tali totius prooemii habitu amplius quaereremus, quae librarii depravassent, quae probabiliora essent anteferenda. Licet autem inter varias lectiones optimae eligantur atque etiam emendationes hic illic accipiantur, ea re neque natura eorum magnopere neque iudicium de iis omnino mutatur. Equidem ego nihil aliud titubatione tanta codicum affirmari censeo nisi ipsam malam versuum indolem, qua veteres grammatici ad corrigendum impulsi sint. Quam ob rem cod. Vatic. (m), qui deteriores scripturas: v. 2 *πρᾶτος* (corr. *Δάφνι*) — *ἐφαψάσθω* (corr. *συναψάσθω*), v. 3 *ὑπὸ* (corr. *ἐπὶ*), v. 6 *ὑποκρίνοιτο* (corr. *ποτικρίνοιτο*) exhibeat, ut minus correctus (in hac quidem parte) genuinas lectiones porrigere mihi videtur.

Sed paulo difficilior est veri exploratio de duabus cantilenis 7—13 et 15—21, quae vulgo solae partes Theocriteae carminis habentur, quod iudicium translaticium primus, quantum videmus, Brinker l. l. p. 33 sq. diluere conatus est. Et qui eos Theocriti esse credunt, concinnitate et lepore quodam decipiuntur parum curantes eas res, quae iure dubitationem

---

1) Caput mirum inter vv. dd. habet Zettelius (Blätt. f. d. bayer. Gymn.-Schulw. VI, 11—13), qui Theocritum talia scripsisse credat et iniquo prope animo incredulis obiciat cum alia inania tum haec: „Muss er (Th.) denn stets die ausgetretenen Geleise dahinhumpeln?" Cum hoc Koechlyus quoque stat (l. l.). —

2) Cf. G. Hermann. op. VIII, p. 331 sq. —

idyllium IX in hanc formam redactum esse neque a grammatico recentioris aetatis. Ceterum quomodo veteres grammatici (fortasse etiam librarii docti) re vera de auctoribus carminum erraverint, discimus cum ex aliis rebus tum ex idd. XIX, XX, XXIII, quae quidem sub Theocriti nomine etiam hac aetate propagantur, sed vere sunt Bionis aut Moschi.

Iam de nono quoque idyllio satis disputasse mihi videor.

Caput III.

De communi quadam idylliorum VIII et IX natura atque indole deque imitatione Vergiliana.

Quoniam de idd. VIII et IX singillatim disputavimus, reliquum est, ut quae rerum similitudo et ratio intercedat inter ambo carmina quidque efficiendum sit ex ea re, breviter disseramus.

Primum igitur dicendum est de inscriptionibus. Dubium esse non potest, quin Th. ipse carmina sua titulis instruxerit, qua in re ita fecit, ut aequales fere poëtae facere solebant, atque ut videbat in exemplis, quae et ipse imitatus est vel ad quae artem poëticam excoluit, dico, ut alios omittam, Epicharmum et Sophronem, quorum in reliquiis etiam communes cum Theocrito tituli occurrunt. — Inspiciamus nunc singulas idylliorum inscriptiones. Cum aliorum carminum indices valde varientur in libris, alia habent inscriptionem magis constantem et plerumque insigniorem, quae ob id ipsum ad poëtam referenda est. Horum in numero habemus: id. II, cui inscribitur *Φαρμακεύτρια(ι)*, qui titulus mimo quoque Sophronis fuisse fertur (cf. hyp. h. id.), id. VII cum titulo *Θαλύσια*, id. XI c. t. *Κύκλωψ*, id. XII c. t. *Ἀΐτης*, id. XIII c. t. *Ὕλας*, id. XIV c. t. *Συρακούσιαι ἢ Ἀδωνιάζουσαι* (accepimus huic similes titulos apud Epicharmum et Sophronem), id. XVI c. t. *Χάριτες ἢ Ἱέρων*. Itaque et VIII et IX idyllium titulo aliquo inscriptum fuisse ab ipso poëta opinemur oportet, si modo ille ea composuisset. Atqui utrumque carmen pariter inscribitur *Βουκολιασταὶ Δάφνις καὶ Μενάλκας*. Sed incredibile est poëtam ingeniosum duobus carminibus eundem indicem dedisse, qui insuper ad speciem

idyllii VI expressus videtur esse[1]). Neque ingenii aut artis est eadem pastorum nomina in duobus diversis idylliis collocare. Etenim varietas delectat, id quod non ignorat is poëta qui alios delectare carminibus suis atque verus *Μουσάων ὑποφήτης* (cf. id. XVI, 29 et XVII, 115) haberi velit.

Iam vero eadem manca compositionis forma utrique idyllio mirum in modum communis est; quae conspicitur in partibus male coniunctis, in imitationibus et additamentis hic illic inscite factis, in dictione contra dialectum et dicendi usum Theocriti pugnante, in rebus inter se discrepantibus, in arte metrica neglecta, de quibus rebus singulis supra affatim disputatum est. Ac ne ea re quidem dissimilia apparent ambo carmina, quod dissolvi possunt in iis ac distingui primordia quaedam et fragmenta, quibus compositis idyllia facta sunt, et quod cantum priorem in utroque poëmate alter sequitur praeter consuetudinem ceterorum carminum. Qua ex rerum communione aperta nescio an recte colligamus ambo carmina eadem ratione nata esse i. e. ab uno homine, qui eadem compositionis ratione usus est, sic ut videmus informata esse.

Aliud quoque est, ad quod animos intendamus. Cum conferimus VIII, 76/78:

ἁδεῖ' ἁ φωνὰ τᾶς πόρτιος, ἁδὺ τὸ πνεῦμα·
ἁδὺ δὲ τῶ θέρεος παρ' ὕδωρ ῥέον αἰθριοκοιτεῖν.

cum IX, 7/8:

ἁδὺ μὲν ἁ μόσχος γαρύεται, ἁδὺ δὲ χἁ βοῦς,
ἁδὺ δὲ χἁ σῦριγξ χὠ βουκόλος, ἁδὺ δὲ κἠγών.

et VIII, 79/80:

τᾷ δρυῒ ταὶ βάλανοι κόσμος, τᾷ μαλίδι μᾶλα,
τᾷ βοῒ δ' ἁ μόσχος, τῷ βουκόλῳ αἱ βόες αὐταί.

cum IX, 31/32:

τέττιξ μὲν τέττιγι φίλος, μύρμακι δὲ μύρμαξ,
ἴρηκες δ' ἴρηξιν, ἐμὶν δ' ἁ μοῖσα καὶ ᾠδά.

memorabilis quaedam concinnitas locorum sub oculos cadit, ut non modo idem auctor (vel imitator) ea prodatur, verum etiam ii loci non ut nunc in duobus diversis carminibus, sed primo

---

[1]) Cf [illegible] *Δάφνις καὶ Δαμοίτας* (VI).

in artiore aliqua necessitudine, fortasse partes inter se respondentes unius carminis fuisse videantur. Qua in re praeterea respiciendum est et quod supra (cf. p. 74) de solutiore conexu versuum IX, 7/8 cum sequentibus diximus, et quod versus IX, 7 inter versus VIII, 76 et 78 parva cum mutatione (IX, 7: *ἁδὺ μὲν ἁ μόσχος*, VIII, 77: *ἁδὺ δὲ χὠ μόσχος*) iterum legitur. Accedit etiam, quod versu VIII, 78: *ἁδὺ δὲ τῶ θέρεος παρ' ὕδωρ ῥέον αἰθριοκοιτεῖν* similis sententia effertur ac versu IX, 9: *ἔστι δέ μοι παρ' ὕδωρ ψυχρὸν στιβάς*. Sed in his rebus, quoniam cetera omnia satis tenebris occultata latent, tantummodo parvas veluti scintillas videmus, quibus veritatem magis divinare quam dispicere conamur (cf. etiam Verg. ecl. III, 80/81 c. 82/83 et ecl. VII, 61 sqq. c. 65 sqq.).

Unum denique restat, quod commemorandum est. Permultum enim interest quaerere et, si fieri potest, explorare, quando iis idylliis haec quam nunc habemus forma sit data. Cuius quaestionis adminiculum aliquod nobis suppeditatur Vergilii eclogis, quas ad Theocritea exempla conditas esse constat. Vergilius igitur locos nonnullos, ut confestim dicamus, utriusque idyllii, longe tamen plurimos octavi sine dubio imitatus est vel respexit; ergo utilissimum erit interrogare sic: Utrum poëta Latinus idd. VIII et IX iam sua aetate ita informata vidit, an aliter aut tantum partes eorum noverat? — Atque noni idyllii duo loci spectandi sunt, quorum alter (vv. 19—21) haud dubie a Vergilio adumbratus est in vv. ecl. VII, 49—52; sed eo magis dubitandum est, utrum alter locus v. 2:

ᾠδᾶς ἄρχεο Δάφνι, συναψάσθω δὲ Μενάλκας

(var. *πρᾶτος*, *ἐφεψάσθω*) Vergilii oculis obversatus sit, cum scriberet (ed. III, 58):

‚incipe, Damoeta, tu deinde sequere, Menalca',

an rectius similitudinem versus Vergiliani casui tribuamus. Quamquam multi credunt imitationem vere in hoc versu factam esse, tamen res quae eo versu dicitur, talis est, ut facile a diversis poëtis simili modo enuntiari potuerit (praeterea cf. Th. VIII, 30—32, ubi eadem res simili modo profertur). Itaque quid verum sit, in medio relinquimus itemque porro, utrum Vergilius prooemium idyllii IX iam legerit necne.

καὶ νῦν λασαμένα τῶ κύματος ἐν ψαμάθοισιν
ἵζετ' ἐρημαίαισι βοὰν δ' ἔτι σεῖο δοκεύει.

Praeterea in simili huic loco sententia rerumque condicione videmus scriptum id. XXI, 42:

εἶδον ἐμαντόν
ἐν πέτρᾳ βεβαῶτα, καθεζόμενος δ' ἐδόκευον
ἰχθύας,

sed, cum id. XXI sit incerti auctoris, non minus Bionis aut Moschi quam Theocriti esse potest. Iam vero pedi descriptione (vv. 23/24) in memoriam revocatur id. VII, 43/44.

Hac profecto imagine satis speciosa depicta idyllium perbene absolutum haberi potuit. Quam ob rem miramur ac paene stupemus legentes ea quae adiunguntur (vv. 28—36). Quae extrema pars carminis quid sibi velit hoc loco, quaerentibus et interpretibus et criticis semper fere instar fuit aenigmatis. Quicunque id e tenebris in lucem evocare studuerunt, potuerunt proferre coniecturas varias, sed meras coniecturas, plerumque etiam incredibiles. Fritzschius quidem (cf. argum. ad h. id.), cui assensus est etiam Ahrensius, Artemidorum grammaticum hos versus tamquam epilogum collectionis ab ipso institutae de suo addidisse opinatus est, quam ad opinionem ille vir doctus perductus erat epigrammate illo memorabili saepiusque a viris doctis ascito ad disputationem, quod traditur cod. Ambr. (k) ita:

Ἀρτεμιδώρου τοῦ γραμματικοῦ
ἐπὶ τῇ ἀθροίσει τῶν βουκολικῶν ποιημάτων.

Βουκολικαὶ Μοῖσαι σποράδες ποκά, νῦν δ' ἅμα πᾶσαι
ἐντὶ μιᾶς μάνδρας, ἐντὶ μιᾶς ἀγέλας.

Ex hoc epigrammate Fritzschius constituit duplex momentum: prius Artemidorum illum collectionem carminum bucolicorum perfecisse, id quod re vera inde sequitur, alterum eundem Artemidorum, qui epigramma (fortasse in capite collectionis positum) a verbis *Βουκολικαὶ Μοῖσαι* incipiat, epilogum quoque IX, 28—36 ordientem ab iisdem vocibus scripsisse. Sed hoc alterum argumentum fallax atque futile est. Nam cum ipse Theocritus (id. I, 64 sqq. et VII, 49) *ἀοιδάν* denominaverit *βουκολικάν* atque etiam in id. I, 20 — quem quidem versum Fritzsch. sibi incommodum immerito deleri vult, — *Μοίσας*

appellaverit *βουκολικᾶς* (gen.)[1]), hoc epitheton tralaticium usitatumque fuisse et ante (cf. id. VII, 27 sqq.) et post Theocritum neque minus apte Musae quam carmini eius de quo dicimus generis attribui potuisse existimamus. Quin etiam ita tritum illud videtur fuisse posteris temporibus[2]), ut Moschus noluerit scribere *Βουκολικαὶ Μοῖσαι*, sed maluerit III, 8 sqq. *Σικελικαὶ Μοῖσαι; Σικελικός* enim hoc loco nihil aliud esse atque *βουκολικός* elucet cum ex aliis rebus tum ex eiusdem carminis versu 122: *Σικελικόν τι λίγαινε καὶ ἁδύ τι βουκολιάσδευ* atque etiam ex Verg. ecl. IV, 1: ‚Sicelides Musae'. Ergo illa appellatione communi neque singulari ad explorandum auctorem epilogi adminiculum non praebetur.

Ac ne Hiller quidem ‚omne tulit punctum', qui coniecerit[3]) auctorem partis primae et extremae huius idyllii fuisse unum hominem eumque collectorem aliquem bucolicorum; a quo extremos versus nomine Theocriti conditos esse tamquam conclusionem totius collectionis ille similiter ac Fritzschius opinatus est. Nam primi et extremi versus idyllii quantum arte et oratione inter se differant, hominem litteris Graecis eruditum vix fallet. Atque epilogi versus bellissime[4]), exordii ineptissime scripti sunt, in illis saltem poëtae spiritum, in his grammatici alicuius centonem videmus. Quodsi vere Artemidorus aut nescio quis novem illis versibus (28—36) totam carminum collectionem concludere atque peragere voluisset, dubito, an multo clarius et minus obscuris verbis id quod voluit dicturus fuerit. Verba enim ipsa sententiaeque huius partis ita non idonea sunt, ex quibus ea coniectura capiatur, ut ei potius repugnent. Quinam sunt intellegendi *κεῖνοι νομεῖς* (29)? An ii qui in hoc idyllio producuntur, Daphnis et Menalcas? Enimvero fieri non potest, ut *κεῖνοι νομεῖς* ad omnes omnium carminum pastores ut oportet referantur! Tum quid tandem sibi vult *παρὼν ἄεισα*? Nonne hoc absurdum est, si id quod Hiller

---

[1]) Errat igitur in hac re et ipse Croiset. l. l. V, p. 184[3]: «l'expression *Βουκολικαὶ Μοῖσαι*, qui n'est pas de la langue de Théocrite».

[2]) Etiam interpolator in id. VIII, 32 repetivit illud *βουκολικάν* appositum ad *ἀοιδάν*.

[3]) Cf. Burs. Jahrb. 1883 p. 279 sqq.

[4]) Item sensit de ea parte Didot. p. 450: «On y trouve quelque chose de cette noble inspiration que Virgile a si bien sentie et exprimée». —

suspicatus est amplectamur? Atque etiam ineptiarum cumulum his versibus attulisset interpolator, si id quod putatur consilium habuisset, verumtamen adscripsisset versum 30, cuius sententia quo spectet profecto nemo haec legens explicare possit. Neque credere possumus interpolatorem tam expertem fuisse mentis ac rationis, ut tale consilium verbis obscurissimis exsequeretur. Sed cum interpretes nonnulli ad eruendam versus rationem adhibeant artes miras et interpretationes incredibiles, cur tandem explicare studemus, quod explicari simpliciter nequit? Longe aliter res se habet atque adhuc putaverunt viri docti[1]).

Considerate igitur mecum hos versus. Primum pro re comperta habemus neque quisquam negabit illam perorationem carminis nec verborum nec sententiarum vinculo cohaerere cum antecedente idyllio, ut sine ulla offensione aut perturbatione ea possit abesse. Qua ex re necessario efficitur principio eos versus non ad argumentum aut dispositionem huius idyllii scriptos esse. — Iam ii versus per se spectati in tres partes dividi possunt: prima continet 28—29, altera v. 30, tertia vv. 31—36, de quibus deinceps breviter disputemus. In vv. 28, 29:

Βουκολικαὶ Μοῖσαι μάλα χαίρετε, φαίνετε δ' ᾠδάν[2]),
τάν ποτ' ἐγὼ κείνοισι παρὼν ἄεισα νομεῦσι,

utcunque lectiones in codicibus et in editionibus variantur, inest adhortatio Musarum bucolicarum, quibus enuntiato: *μάλα χαίρετε* non valete[3]), sed salvete dicitur, quia *φαίνετε δ' ᾠδάν* (*ᾠδάς*), nisi malis interpretandi artibus utimur, explicandum est; ‚indicate mihi (*ἐγώ*) carmen (carmina), ut id (ea) canendo reddam' et id plane eodem sensu dicitur atque apud Homerum Od. VIII, 499: *φαῖνε δ' ἀοιδήν* et simili sensu ac qui in id.[1] I, 64 verbis: *ἄρχετε βουκολικᾶς Μοῖσαι φίλαι ἄρχετ' ἀοιδᾶς* subest. Sed in proximo versu nescimus, quis sub *ἐγώ* aut qui sub *κείνοισι νομεῦσι* lateant. Ac ne minimum quidem indicium in conspectum venit, ex quo Theocritum voce *ἐγώ* perhiberi dispiciamus. Contra obstant ei opinioni maxime verba *παρών ἄεισα.*

---

1) Cf. Legrand. l. l. p. 10 sq.

2) In libris confunduntur *ν* et *ς* teste Zieglero.

3) Velut Cartault. opinatur p. 495: «il dit adieu aux muses bucoliques IX, 28».

Obscurior etiam versus 30 exsistit sententia, cuius quidem vim proverbialem novimus, sed, quae res aut quod dictum eam excitaverit, nescimus. Vis enim huius proverbii est: ne mendacem me reddas, ut in id. XII, 24, quo loco quo cadat sententia, bene intellegitur. Deinde si *φύσῃς*, quod vulgo traditur, servamus, frustra quaerimus, quis sit qui compellatur, sin autem *φύσω*, quod conicitur (Graef.), probamus, nihilo tamen secius celamur, qui factum sit, ut ille *ἐγώ*, ne mendax fieret, caveret. Sed is versus quominus cum versu 29 arte coniungatur, nihil est, quod impediat, ac, quia sententia satis insignis et peculiaris eo exprimitur, casu illum hoc loco interiectum esse parum verisimile est.[1])

Tertia parte v. 31 sqq.:

τέττιξ μὲν τέττιγι φίλος, μύρμακι δὲ μύρμαξ,
ἴρηκες δ' ἴρηξιν, ἐμὶν δ' ἁ Μοῖσα καὶ ᾠδά.
τᾶς μοι πᾶς εἴη πλεῖος δόμος· οὔτε γὰρ ὕπνος
οὔτ' ἔαρ ἐξαπίνας γλυκερώτερον, οὔτε μελίσσαις
ἄνθεα· τόσσον ἐμὶν Μοῖσαι φίλαι. οὓς μὲν ὁρεῦντι
γαθεῦσαι, τοὺς δ' οὔτι ποτῷ δαλήσατο Κίρκη.

elegantius illustratur sententia haec: nulla res Musis carminibusque magis iuvat atque delectat verum poëtam neque is ulla vi ab illis abalienari potest. Sed hos sex versus esse *ᾠδάν* vel etiam *ᾠδάς* illas, quae tanta orationis pompa pronuntiantur, nemo erit qui credat. Iactura profecto multorum versuum et sententiarum, quibus res accuratius enarratae erant, factum est, ut eae quae supersunt sententiae partim perobscurae menti non suppetere videantur. Etenim si nobis persuadebimus eos versus esse reliquias carminis olim amplioris et postea corrupti, aenigma quod videmus in his versibus optime explicabitur. Itemque reliquas idyllii partes similem praebere speciem supra docuimus. Is autem qui totum idyllium conglutinavit et prologo instruxit, cum extremam partem (v. 28 sqq.) adderet, non id egit, ut totam collectionem eo epilogo concluderet, verum id tantum, ut reliquias inventas, quocunque modo fieri potuit, in contextum speciemque idyllii redigeret, qua in ratione ei libuit dare interlocutori versus

1) Cf. Legrand. l. l. p. 9.

extremos recitandos tamquam *ἐπῳδόν*, atque ei, cum ita faceret, exempla fortasse cum aliorum poëtarum tum Pindari ante oculos obversata sunt. Singulis igitur partibus hoc modo colligatis ille sibi visus est Theocrito dedisse novum absolutumque idyllium, sed nos quidem iure miramur idem tam diu videri potuisse quod non est.

Iam porro quaerentibus nobis, utrum Theocriti sint vv. 28 sqq. necne, negandum est, quia complura manifestissime abhorrent a poëtae Syracusani oratione: v. 28 *ᾠδάν*, v. 29 *ποτέ* pro *ποκά*, *κείνοισι* pro *τήνοισι*, *παρών*, v. 32 *ἴρηκες* pro *ἱέρακες*[1]), iterum *ᾠδά*. Licentia autem dicendi, quae conspicitur in comparativae orationis structura, non dissimilis est ei quam in v. 20 reprehendimus. Atque figura verborum vv. 31/32 efficta monet nos — dignum enim est memoratu — de Epicharmi fragmento, quod nr. 97 apud Ahrensium (de dial. Dor.) legimus hac forma:

Θαυμαστὸν οὐδὲν ἁμὲ ταῦθ' οὑτῶ λέγειν
καὶ ἁνδάνειν αὑτοῖσι αὐτοὺς καὶ δοκεῖν
καλῶς πεφύκειν . καὶ γὰρ ἁ κυὼν κυνὶ
κάλλιστον εἶμεν φαίνεται καὶ βοῦς βοΐ,
ὄνος δ' ὄνῳ κάλλιστόν (ἐστιν), ὗς δ' ὑΐ.

Cf. etiam consimilem dicendi rationem id. VIII, 79/80.

Tum memorabilis est similitudo quaedam quae huic loco est cum fragmento Bioneo (XIV) et sententia et locutione:

Μοίσας ἔρως καλέοι, μοῖσαι τὸν ἔρωτα φέροιεν.
μολπὰν ταὶ μοῖσαί μοι ἀεὶ ποθέοντι διδοῖεν,
τὰν γλυκερὰν μολπάν, τᾶς φάρμακον ἅδιον οὐδέν.

Denique extrema sententia *οὓς γὰρ ὁρεῦντι κτλ.*, ne quis forte contendat eam ad neminem referri posse nisi ad Theocritum, quoniam poëtae tam libenter Musarum afflatu instinctuque divino gloriari solent, ut multifariam multisque modis variatam illam sibi asciscant in carminibus, paene in communem poëtarum consuetudinem ipsis antiquis temporibus venit[2]). Potest igitur a Bione aut Moscho aut ab alio non minus facile profecta esse quam a Theocrito.

---

[1]) Cf. Kühner. l. l. I, § 50 p. 208, 211. — Epicharm. frgm. 45: *ἱαράκες*.
[2]) Cf. Callim. epigr. 21. — Hesiod. Theog. 82. — **Hor. Carm. IV, 3.**

Quibus rebus pertractatis habemus explorata similia atque de idyllio VIII iudicanda fuerant, quae comprehendamus his sententiis:

Carmen nonum in quadrum redactum absolutumque non est, sed constat ex partibus conglutinatis; quibus praefixum est exordium sine ulla arte consutum ab aliquo et omnino inferius ceteris carminis versibus; sed ne hos quidem a Theocrito scriptos esse verisimillimum est.

Cui iudicio comperto atque explorato adiciamus coniecturam, quam cum ceperimus ex rebus antea expositis, et ipsam putamus probabilem. Identidem igitur procedente quaestione incidimus in mentionem earum rerum quae abhorrentes ab usu et consuetudine Theocritea propriae tamen sunt minorum poëtarum bucolicorum (cf. *ὤν* et *ἐών, ᾠδά* et *ἀοιδά, ἄν* et *κέν,* alia). Accedit, quod et omnes fere idyllii versus praeter exordii Theocriteae orationis colore ornati sunt, quapropter etiam nonnulli vv. dd. carmen spurium putare animos inducere nequeunt, et minores qui appellantur poëtae bucolici feruntur certissimi atque felicissimi imitatores artis poëtae Siculi. Itaque sententia nostra inclinat eo, ut reliquias Bionis aut Moschi in hoc idyllio coniunctas esse arbitremur atque id etiam maiore cum fide, quod, cum in illo Artemidori epigrammate ,Musae bucolicae' non Theocriti solius, verum universe invocentur, concludendum est illum bucolica poëmata omnium eius generis poëtarum collectione sua comprehendisse; quo in negotio non solum de totis carminibus, sed etiam multo magis de reliquiis carminum discernendis et distribuendis illum dubitare potuisse, cuius poëtae essent, cui daret, atque etiam facile errare inter auctores selectos fortasse concedetur, si reputaverimus et dispersa antea fuisse (*σποράδες ποκά*) ea carmina i. e. neglecta et propter orationem argumentaque similia fieri potuisse, ut illa confunderentur[1]). Neque tamen opus est ipsum Artemidorum erroris arguere; nam proximis quoque saeculis idyllia obnoxia fuerunt variis casibus, quibus certe confusio maior potius quam minor facta est. Itaque minime compertum est ab Artemidoro

---

[1]) Cf. Legrand. l. l. p. 12.

idyllium IX in hanc formam redactum esse neque a grammatico recentioris aetatis. Ceterum quomodo veteres grammatici (fortasse etiam librarii docti) re vera de auctoribus carminum erraverint, discimus cum ex aliis rebus tum ex idd. XIX, XX, XXIII, quae quidem sub Theocriti nomine etiam hac aetate propagantur, sed vere sunt Bionis aut Moschi.

Iam de nono quoque idyllio satis disputasse mihi videor.

Caput III.

De communi quadam idylliorum VIII et IX natura atque indole deque imitatione Vergiliana.

Quoniam de idd. VIII et IX singillatim disputavimus, reliquum est, ut quae rerum similitudo et ratio intercedat inter ambo carmina quidque efficiendum sit ex ea re, breviter disseramus.

Primum igitur dicendum est de inscriptionibus. Dubium esse non potest, quin Th. ipse carmina sua titulis instruxerit, qua in re ita fecit, ut aequales fere poëtae facere solebant, atque ut videbat in exemplis, quae et ipse imitatus est vel ad quae artem poëticam excoluit, dico, ut alios omittam, Epicharmum et Sophronem, quorum in reliquiis etiam communes cum Theocrito tituli occurrunt. — Inspiciamus nunc singulas idylliorum inscriptiones. Cum aliorum carminum indices valde varientur in libris, alia habent inscriptionem magis constantem et plerumque insigniorem, quae ob id ipsum ad poëtam referenda est. Horum in numero habemus: id. II, cui inscribitur *Φαρμακεύτρια(ι)*, qui titulus mimo quoque Sophronis fuisse fertur (cf. hyp. h. id.), id. VII cum titulo *Θαλύσια,* id. XI c. t. *Κύκλωψ,* id. XII c. t. *Ἀΐτης,* id. XIII c. t. *Ὕλας,* id. XIV c. t. *Συρακούσιαι ἢ Ἀδωνιάζουσαι* (accepimus huic similes titulos apud Epicharmum et Sophronem), id. XVI c. t. *Χάριτες ἢ Ἱέρων.* Itaque et VIII et IX idyllium titulo aliquo inscriptum fuisse ab ipso poëta opinemur oportet, si modo ille ea composuisset. Atqui utrumque carmen pariter inscribitur *Βουκολιασταὶ Δάφνις καὶ Μενάλκας.* Sed incredibile est poëtam ingeniosum duobus carminibus eundem indicem dedisse, qui insuper ad speciem

idyllii VI expressus videtur esse[1]). Neque ingenii aut artis est eadem pastorum nomina in duobus diversis idylliis collocare. Etenim varietas delectat, id quod non ignorat is poëta qui alios delectare carminibus suis atque verus *Μουσάων ὑποφήτης* (cf. id. XVI, 29 et XVII, 115) haberi velit.

Iam vero eadem manca compositionis forma utrique idyllio mirum in modum communis est; quae conspicitur in partibus male coniunctis, in imitationibus et additamentis hic illic inscite factis, in dictione contra dialectum et dicendi usum Theocriti pugnante, in rebus inter se discrepantibus, in arte metrica neglecta, de quibus rebus singulis supra affatim disputatum est. Ac ne ea re quidem dissimilia apparent ambo carmina, quod dissolvi possunt in iis ac distingui primordia quaedam et fragmenta, quibus compositis idyllia facta sunt, et quod cantum priorem in utroque poëmate alter sequitur praeter consuetudinem ceterorum carminum. Qua ex rerum communione aperta nescio an recte colligamus ambo carmina eadem ratione nata esse i. e. ab uno homine, qui eadem compositionis ratione usus est, sic ut videmus informata esse.

Aliud quoque est, ad quod animos intendamus. Cum conferimus VIII, 76/78:

ἁδεῖ᾽ ἁ φωνὰ τᾶς πόρτιος, ἁδὺ τὸ πνεῦμα·
ἁδὺ δὲ τῶ θέρεος παρ᾽ ὕδωρ ῥέον αἰθριοκοιτεῖν.

cum IX, 7/8:

ἁδὺ μὲν ἁ μόσχος γαρύεται, ἁδὺ δὲ χἁ βοῦς,
ἁδὺ δὲ χἁ σῦριγξ χὠ βουκόλος, ἁδὺ δὲ κἠγών.

et VIII, 79/80:

τᾷ δρυῒ ταὶ βάλανοι κόσμος, τᾷ μαλίδι μᾶλα,
τᾷ βοῒ δ᾽ ἁ μόσχος, τῷ βουκόλῳ αἱ βόες αὐταί.

cum IX, 31/32:

τέττιξ μὲν τέττιγι φίλος, μύρμακι δὲ μύρμαξ,
ἴρηκες δ᾽ ἴρηξιν, ἐμὶν δ᾽ ἁ μοῖσα καὶ ᾠδά.

memorabilis quaedam concinnitas locorum sub oculos cadit, ut non modo idem auctor (vel imitator) ea prodatur, verum etiam ii loci non ut nunc in duobus diversis carminibus, sed primo

---

[1]) Cf. *Βουκολιασταὶ Δάφνις καὶ Δαμοίτας* (VI).

in artiore aliqua necessitudine, fortasse partes inter se respondentes unius carminis fuisse videantur. Qua in re praeterea respiciendum est et quod supra (cf. p. 74) de solutiore conexu versuum IX, 7/8 cum sequentibus diximus, et quod versus IX, 7 inter versus VIII, 76 et 78 parva cum mutatione (IX, 7: *ἁδὺ μὲν ἁ μόσχος*, VIII, 77: *ἁδὺ δὲ χὡ μόσχος*) iterum legitur. Accedit etiam, quod versu VIII, 78: *ἁδὺ δὲ τῷ θέρεος παρ' ὕδωρ ῥέον αἰθριοκοιτεῖν* similis sententia effertur ac versu IX, 9: *ἔστι δέ μοι παρ' ὕδωρ ψυχρὸν στιβάς*. Sed in his rebus, quoniam cetera omnia satis tenebris occultata latent, tantummodo parvas veluti scintillas videmus, quibus veritatem magis divinare quam dispicere conamur (cf. etiam Verg. ecl. III, 80/81 c. 82/83 et ecl. VII, 61 sqq. c. 65 sqq.).

Unum denique restat, quod commemorandum est. Permultum enim interest quaerere et, si fieri potest, explorare, quando iis idylliis haec quam nunc habemus forma sit data. Cuius quaestionis adminiculum aliquod nobis suppeditatur Vergilii eclogis, quas ad Theocritea exempla conditas esse constat. Vergilius igitur locos nonnullos, ut confestim dicamus, utriusque idyllii, longe tamen plurimos octavi sine dubio imitatus est vel respexit; ergo utilissimum erit interrogare sic: Utrum poëta Latinus idd. VIII et IX iam sua aetate ita informata vidit, an aliter aut tantum partes eorum noverat? — Atque noni idyllii duo loci spectandi sunt, quorum alter (vv. 19—21) haud dubie a Vergilio adumbratus est in vv. ecl. VII, 49—52; sed eo magis dubitandum est, utrum alter locus v. 2:

ᾠδᾶς ἄρχεο Δάφνι, συναψάσθω δὲ Μενάλκας

(var. *πρᾶτος*, *ἐφεψάσθω*) Vergilii oculis obversatus sit, cum scriberet (ed. III, 58):

‚incipe, Damoeta, tu deinde sequere, Menalca',

an rectius similitudinem versus Vergiliani casui tribuamus. Quamquam multi credunt imitationem vere in hoc versu factam esse, tamen res quae eo versu dicitur, talis est, ut facile a diversis poëtis simili modo enuntiari potuerit (praeterea cf. Th. VIII, 30—32, ubi eadem res simili modo profertur). Itaque quid verum sit, in medio relinquimus itemque porro, utrum Vergilius prooemium idyllii IX iam legerit necne.

Verum tamen certius iudicare possumus de locis, qui ad id. VIII comparati apparent apud poëtam Latinum; nam imitationes haud dubias cernimus his locis quos conferamus:

Verg.		Theocr.
ecl. V, 1—2 „ VII, 4—5	— ad —	id. VIII, 3—4
„ III, 28—34	— „ —	„ VIII, 6—16
„ III, 43—48	— „ —	„ VIII, 17—22
„ VII, 45 „ X, 42—43	— „ —	„ VIII, 37 sqq.
„ III, 56—67 „ VII, 54 sqq. „ IX, 40 sqq.	— „ —	„ VIII, 41 sqq.
„ III, 80, 81	— „ —	„ VIII, 57, 58
„ V, 32—34	— „ —	„ VIII, 79—80.

Intellegimus igitur ex his Vergilium cum alias partes tum carmen elegiacum idyllii VIII cognitum habuisse. At ea re nondum constitutum est Vergilii oculis conspectam fuisse eandem ac nobis carminis formam[1]). — Neque vero res potest ita explicari, ut Ahrensius[2]) voluit, qui vir doctissimus mutata vice locos interpolatos idylliorum ex Vergilii eclogis ab interpolatore repetitos esse sibi finxit; nam loci Vergiliani, de quibus agitur, non solum nimis dispersi sunt per eclogas, quam ut eos eligere facile esset, sed etiam nonnulli aliquantum differunt a Graecis, quin etiam loci quidam Graeci omnino non inveniuntur in eclogis, velut locus de nuptiis Daphnidis et Nymphae (id. VIII, 92—93); denique commodius fuit interpolatori ipsum Theocritum pro eius imitatore sibi advocare.

Atque ut verum sit quod putatur, sed ambiguum est: Vergilium eo quod decem scripserit eclogas, ipsum numerum

---

[1]) Nonnunquam inter Theocriti et Vergilii locos comparatos discrepantia memorabilis exsistit, velut Verg. ecl. II, 36 laudat fistulam septem calamorum, Theocr. id. VIII, 18 memorat fistulam novem calamorum; cf. etiam Verg. ecl. III, 32 sq. ‚iniusta noverca' — ‚bisque die', et Theocr. VIII, 16 χὰ μάτηρ — ποθέσπερα, deinde Verg. ecl. VII, 70 verba: ‚ex illo Corydon Corydon est tempore nobis' cum loco Theocr. simili et simul dissimili VIII, 92—94, tamquam si Verg. olim alia in exemplari suo legerit.

[2]) Cf. Philol. XXXIII p. 393 sq.

decem mere bucolicorum carminum Theocriti imitari voluisse (cf. Serv. ad Verg. in praef.), hinc nondum efficitur decem illa bucolica, quae Vergilius forsitan numero quoque respexerit, eadem fuisse, quae nos hodie numeramus I, III—XI, quoniam ille in ecloga VIII apertissime id. II Theocriteum, quod quidem non est bucolicum, sed mimicum, imitando expressit[1]). Neque desunt alii loci assimiles[2]). Contra poëta Latinus in ecloga VI argumentum habet quod simile apud Theocritum non videmus[3]); qua ex re ad hanc quaestionem eo magis aliquid redundabit, quod Vergilius cum toto exordio eius eclogae tum v. 6 sqq.:

,Nunc ego — — —
,Agrestem tenui meditabor arundine Musam.
,Non iniussa cano.'

clarissime dicit se hac ecloga (VI) carmen bucolicum componere velle, cum idem se nolle item clare initio eclogae IV significat his verbis (v. 1—2):

,Sicilides Musae, paulo maiora canamus!
,Non omnis arbusta iuvant humilesque myricae.'

Quaerimus igitur: Unde sumpsit Vergilius illud eclogae VI argumentum nisi ex Theocriti exemplis? Cur eo carmine aliud exemplum ac Theocriteum aut imitari aut ipse excogitare voluit? Profecto imago, quae vv. 15—30 depingitur, quodam modo coloribus vere bucolicis et Theocriteis expressa est. Atque etiam personae puerorum, qui in ecloga VI Silenum temulentum et sopitum ludificantur, itemque Aegle Naiadum pulcherrima suscitant comparationem cum pastoribus pueris et Naïde nympha idyllii VIII[i]. Sane carmen, quod deinde a Sileno canitur et in argumentis miris atque subobscuris versatur, non habet speciem in idylliis Graecis. Quae res abstrusior ut extricaretur, interpretes quidam docti ex versu 64, ubi Galli mentio fit, coniecerunt — at non absurda est coniectura — Parthenii *περὶ ἐρωτικῶν παθημάτων* librum dedicatum Corn. Gallo, Vergilii amicissimo, aut carmen Euphorionis, quem

---

[1]) Cf. Vahlen. Ind. lectt. Berol. 1876 et 1888 p. 10. —

[2]) Cf. Verg. ecl. VI, 43, 44 cum Th. id. XIII, 58, 59. — Verg. IX, 53, 54 c. Th. XIV, 22. —

[3]) Cf. Cartault. l. l. p. 287: «c'est une tentative très originale».

Gallus imitatus esse fertur, suppeditasse Vergilio materiam eclogae VI[1]). Equidem ego rem aliter animo fingo; ego enim insistens in illa Vergilii verba: ‚nunc ego .... agrestem tenui meditabor arundine Musam' reor potius carmen bucolicum, quod est Theocriteum, iis a poëta dilucide indictum esse atque etiam eius materiam sumptam fuisse ex Theocriteo fonte. Quod bene convenit cum ea opinione quam supra de natura idylliorum VIII et IX, maxime p. 81 sq. de nono carmine extremo declaravimus. Etenim legentes in ecloga illa (v. 18): ‚nam saepe senex spe carminis ambo luserat' et post (v. 25): ‚carmina quae voltis, cognoscite; carmina vobis, huic aliud mercedis erit' eaque componentes cum versibus et enuntiatis obscuris extremi idyllii IX (Th.) fortasse non fallimur opinantes Vergilium olim ibi apud Theocritum plus legisse quam nos hodie legimus atque etiam, id quod porro concludendum est, idd. VIII et IX alia forma composita vel aliter disposita cognovisse[2]). Ribbeckius, vir doctissimus, aliquando (Mus. Rhen. 1862 p. 560) id. IX iure praedicavit: „ein stark verwittertes Gedicht". Ergo, si partes idyllii per saecula deletae et amissae sunt, Vergilii ecloga sexta ea opinio admodum confirmatur. Verum enim vero tam simplicem animum non habemus, ut necessario rem ita se habere contendamus (quam difficile sit verum investigare, nemo nescit, qui in eiusmodi quaestionibus versatus sit), sed levitatem atque arrogantiam exprobramus iis viris doctis, qui naso adunco suspendant et praetereant eas res rationesque quas nos ad considerationem et deliberationem revocavimus. — Alia quoque licet excogitare de hac re, sed ad ea persequenda, cum sint etiam incertiora, ne descendamus. Attamen ex rebus expositis enucleatum putamus, si non plura, hoc saltem: non liquet neque certum

---

[1]) Cf. bonam eius rei explicationem apud Cartault. l. l. p. 41 sqq. et p. 251 sqq. — «La VI[e] Églogue de Virgile contient un certain nombre d'aventures mythologiques entre lesquelles les commentateurs modernes ont vainement cherché un lien; il est possible que Vergile l'ait écrite après avoir feuilleté un recueil du genre de celui qui nous occupe». Ceterum Cart. non consentit cum illa coniectura. Cf. etiam Croiset. l. l. V, p. 243 et 247. —

[2]) Velut Buecheler l. l. fortasse recte existimat epilogum id.[i] IX nunc quidem decurtatum, sed olim integrum prooemii loco fuisse.

est, utrum ante Vergilii aetatem an post Vergilium idd. VIII et IX in hanc formam mancam et vitiosam redacta sint.

Denique ex tradendi numerandique ratione varia codicum, quorum ne vetustiores quidem ultra tertium decimum saeculum p. Chr. n. scripti existimantur, nihil aliud discimus nisi hoc: idd. VIII—XIII, quamvis varietur ordo ceterorum, semper una eademque serie in illis perscribi, qua re nihil proficimus.

Excursus I.

De voce *πυρρός*.

Cum ad interpretandum locum Theocr. id. VIII, 3 mihi necessarium fuerit, ut paulo diligentius de voce *πυρρός* quaererem, inveni significationem vocis neque facilem aut simplicem neque perquam recte adhuc acceptam esse. Fere autem *πυρρός* intellegitur fulvus. Quare utile mihi videtur pauca, quae observavi de illa, in lucem proferre.

Si proficiscimur a nativa vi vocis, non multum proficimus; nam *πυρρός* est aut igneus aut coloratus ut ignis. Sed raro ignis ipse (igneus) percipitur, ut Eur. Hec. 1265: *πύρσ' ἔχουσα δέργματα;* Theocr. XIII, 50: *πυρσὸς ἀστήρ;* Orph. Arg. 1218: *ἔθειραι πυρσαῖς ἀκτίνεσσι ἀλίγκιαι;* id. Lith. 615: *σπιλάδεσσι πυρσῇσιν.* (*Πυρσός* i. e. cum *ρσ* videtur mihi praecipue positum esse cum notione ‚igneus'. Cf. p. 19 adn.[1]). Creberrime vero, cum exemplis utimur, occurrit *π.* ad colorem significandum. Atqui ignis color ita non sibi constat, ut variis quam maxime distinctionibus a rubro (purpureo) desinat in pallidum. Opus igitur est testimoniis certisque exemplis, quid veteres oculis conceperint sub. v. *πυρρός,* examinare ac demonstrare. Primum inspiciamus testimonia: Plat. Tim. p. 167 (68, C): *πυρρὸν δὲ ξανθοῦ τε καὶ φαιοῦ κράσει γίγνεται· φαιὸν δὲ λευκοῦ τε καὶ μέλανος.* Id. Tim. p. 68 B: *λαμπρόν τε ἐρυθρῷ λευκῷ τε μιγνύμενον ξανθὸν γέγονε.* Plato igitur sub v. *π.* colorem intellegit flavo pallidiorem, sub v. *ξανθός* flavum inclinantem ad rubrum; nam color *πυρρός* compositus esse dicitur ex albo, nigro, rubro, praevalente tamen albo. Ac similiter explicat Galen. *π. κρίσεων* I, p. 397, 26: *ἐγγυτάτω τὴν φύσιν ἐστὶ τὸ πυρρὸν χρῶμα τῷ ξανθῷ· διαφέρει δ' ἀλλήλων τῷ τὸ μὲν λευκότερον εἶναι, τὸ δὲ στιλπνότερον. Καὶ γὰρ οὖν καὶ ἡ*

πικρὰ χολὴ ποτὲ μὲν πυρρὰ φαίνεται μᾶλλον, ποτὲ δὲ ξανθή, πολλάκις δ' ἂν σοι καὶ ὠχρὰ δόξειεν εἶναι· λευκοτέρα μὲν καὶ θολωδεστέρα γινομένη πυρρά, στίλβουσα δὲ καὶ καθαρωτέρα ξανθή. ὅσον δ' ἔστι τὸ πυρρὸν τοῦ ξανθοῦ λευκότερον τοσοῦτον ἐκείνου τὸ ὠχρόν· ὅσον δ' ἂν πάλιν ἧττον λευκόν ἐστι τὸ ξανθὸν τοῦ πύρρου, τοσοῦτον τοῦ ξανθοῦ τὸ ἐρυθρόν. — Attamen eam significationem (strohgelb = couleur de paille ∼ flachsblond = couleur blonde de lin) minime solam ei voci subesse docent exempla, quae nunc colligamus: color ruber perhibetur, cum dicit idem Galen. *πυρρὸς ὡς σανδαράχη* vel *πυρρὸν τὸ προσκείμενον τὸ αἱματῶδες* (rötlich = rougeâtre). Mosch. II (Eur.), 71: *ἀγλαΐην πυρσοῖο ῥόδου;* cf. id. ibid. v. 68: *ξανθοῖο κρόκου.* Itemque Arat. 798: *πυρρώτερα φοινίσσοιτο* intellexit rubrum itemque Aristot. 796ᵃ 2: *μικρὸν ἐπιφοινικίζουσι καὶ γίνονται πυρροί* atque verisimiliter etiam Herod. III, 139: *χλανίδα πυρρήν* nominat pallium purpureum. — Deinde color ruber languescens in gilvum voce *π.* significatur: Hippocr. p. 663, 20: *ᾠοῦ τὸ πυρρόν* = ovi luteum (rotgelb); id. progn. p. 40: *πυρρὸν οὖρον* = rufam urinam (rubram vertit Celsus 2, 6); id. epidem. p. 1164 F: *ψαμμία τε πυρρὰ ὑφίσταται.* Nonnunquam *π.* ponitur tamquam vox synonyma cum *ξανθός*: Aristot. Metaph. 1054ᵇ 13: *χρυσὸς δὲ πυρὶ ἢ ξανθὸν καὶ πυρρόν;* cf. id. *π. χρωμάτων* 791ᵃ 4: *τὸ δὲ πῦρ καὶ ὁ ἥλιος ξανθά;* Bacchyl. frg. 25 (cf. Pomptow. poët. lyr. Gr. min. II): *ξανθᾷ φλογί;* his igitur exemplis duobus *ξανθός* colorem ignis significat. — Sed multo saepius *π.* usurpatur ad distinguendum colorem crinium, primum bestiarum, velut Aristot. *π. ζῴων γεν.* 785ᵇ 17: *λέοντες πυρροὶ πάντες* et Theocr. id. XXV, 244: *πυρσαὶ δ' ἔφριξαν ἔθειραι* (de leonis iuba); color igitur flavo pallidior (fahlgelb) notatur hac voce (Verg. Aen. IV denominat fulvum leonem — braungelb —). Theocr, IV, 20: *ὁ ταῦρος ὁ πύρριχος* (incertus color, fortasse rutilus bos); id. XV, 53: *ὀρθὸς ἀνέστα ὁ πυρρός* de equo, sed ambiguum est, utrum vertamus ‚Der Fuchs' = ‚l'alezan', ut vulgo, an ‚der Falbe' = ‚cheval isabel'. Idem valet de Eur. Iphig. Aul. 225: *πυρσότριχας πώλους.* — Aristot. *π. χρωμάτων* 797ᵇ 1: *τριχώματα λευκὰ καὶ φαιὰ καὶ πυρρὰ καὶ μέλανα* (hoc loco *πυρρά* fortasse cum significatione *ξανθά* scriptum est); deinde *πυρρός* hominum capillis attribuitur: Aristot. probl.

966ᵇ 33: *καὶ πάντες δὲ οἱ πρὸς ἄρκτον πυρρότριχες καὶ λεπτότριχές εἰσιν* (rotblond); Hippocr. p. 292, 44: *πυρρὸν τὸ Σκυθικὸν γένος διὰ τὸ ψῦχος, οὐκ ἐπιγενομένου ὀξέως τοῦ ἡλίου· ὑπὸ δὲ τοῦ ψύχεος ἡ λευκότης ἐπικαίεται καὶ γίγνεται πυρρή* (rotblond). Galen. Comment. in l. *π. ὑγ. διαίτης* p. 337, 36: Germanos, ait, non *ξανθούς*, sed *πυρρούς* dicendos esse (subrutilos). Pollux IV, 149 (*κωμικὰ πρόσωπα*): *σπεῖραν τριχῶν πυρρῶν — πυρρόθριξ* — verisimiliter russus intelligitur (fuchsrot). Aristot. Rhet. I, 15 (1375ᵇ 34): *Κρατίᾳ πυρρότριχι* (Solon. frg. 22). — Crebrius etiam barbae color depingitur voce *π.*, ut Aesch. Pers. 316: *πυρσὴν ζαπληθῆ δάσκιον γενειάδα,* Diosc. in Anth. Pal. VII, 707: *Σῖρτος ὁ πυρρογένειος*, atque praecipue barba incipiens: Aristot. *π. χρωμάτων* 797ᵇ 30: *ὁμοίως δὲ καὶ περὶ τὴν ἥβην καὶ τὸ γένειον, ὅταν ἄρχωνται τὸ πρῶτον ἡβᾶν καὶ γενειᾶν, καὶ αὗται (τρίχες) γίνονται κατ' ἀρχὰς μὲν πυρραὶ ταχέως διὰ τὴν ὀλιγότητα τῆς ὑγρασίας ἐν αὐταῖς καταξηραινομένης — μελαίνονται πάλιν.* Hoc testimonium gravissimum est, quia ex eo discimus primae barbae colorem plerumque sive *κατ' ἐξοχήν* voce *πυρρός* significatum esse, quem intellegimus subflavum. Et hoc quidem alia quoque exempla affirmant: Eur. Phoen. 32; Theocr. VI, 3; XV, 130 (cf. disp. antec. p. 16). Atque haud scio an sic quoque accipiendum sit illud *πυρροπίπης* in Aristoph. Equ. 407. Contra cf. Pind. Pyth. IV, 225: *ξανθᾶν γενύων* et Theocr. II, 78: *τοῖς δ' ἦν ξανθοτέρα μὲν ἑλιχρύσοιο γενειάς* (aureus = goldgelb); his tamen locis duobus rursus plena barba virorum depicta est.

Ex his igitur testimoniis et exemplis, quae attulimus, videmus voci *πυρρός* esse ampliorem significationum ambitum et varietatem colorum quam voci *ξανθός,* quae tamen voces interdum promiscue inter se usurpantur; notatur enim voce *πυρρός* non solum idem color ac voce *ξανθός,* sed significantur etiam illa ii colores, in quos utroque *ξανθός* exire potest, i. e. in rubrum et in pallidum inclinantes colores, denique *πυρρός* habet eandem fere colorum amplitudinem, quos *πῦρ* ducere potest, et cum barba incipiens eo indicatur, color flavo pallidior videtur intellegendus esse, sicut supra Platonem et Galenum vocis significationem definire cognovimus.

Excursus II.

De Theocriti studiis Homericis.

Theocritus quem ad modum Homerum imitatus sit in carminibus suis, quaerere operae pretium videtur esse[1]). Stangeri enim (‚Homer im Theocrit' cf. Blätt. f. d. bayer. Gymn.-Schulw. III, 1867 p. 201 sqq.) et Futhii (de Th. stud. Hom., diss. Hal. 1876) duas quas novimus de ea re scriptas commentationes satis commenticias neque accuratas iudicamus. Nam cum ille v. d. p. 207 dicit: ‚es konnte nicht fehlen, dass die ganze Poesie Th.'s allmählig von dem Einfluss des Meisters (Hom.) bestimmt und in ein gewisses Abhängigkeitsverhältniss gebracht wurde' et p. 208: ‚dass Th. ganz in den Fusstapfen des Homer wandelt' et similia, ultra quam credibile est veritatem aspernatur; itemque Futhium, quamquam illo minus perverse iudicat, tamen qui schedis suis mandaverit hanc sententiam satis insignem (p. 24): ‚Luculenter quantum Th. Homeri auctoritati tribuerit, etiam ex ea re adparet, quod ille semper metro usus est heroico' et deinde, quod Th. aeque atque Homerus versum spondiacum admiserit, talibus male argumentari patet. Qui viri docti, ut protinus dicamus, in eo potissimum peccaverunt, quod poëtae *εἰδύλλια,* sub quo indice non solum varia poësis genera, sed praeter carmina vere Theocritea etiam spuria et dubia collecta et comprehensa esse constat, omnia promiscua in quaestionem vocaverunt, ut de universis summatim praedicaverint, quod in nonnulla recte cadit[2]). Oculis enim perlustrantibus nobis et ipsa carmina et locos ab illis

---

[1]) Cf. p. 22 h. d. —

[2]) Scite vero dicit Croiset. l. l. V, p. 185: «On voit, quelle est la variété de ces poèmes. Il est indispensable de les étudier par genre, car Théocrite n'est pas exactement le même dans tous».

ascitos ad rem quaerendam iam apparet longe plurimas et quae appellantur et quae vere sunt imitationum suppeditare in idd. epicis XXIV et XXV, complures etiam in cc. epico more compositis: XXII, XIII, XVI, XVII, quae quidem poëmata sane multum ad Homeri exempla condita esse negari non debet. Aliter tamen res se habet in ceteris idylliis, bucolicis, mimicis, lyricis, in quibus conspicua et insignia imitationis Homericae vestigia vel paucissima vel paene nulla inveniuntur. Non enim omnes quas illi vv. dd. statui volunt imitationes possumus agnoscere. Nam ex singulis epithetis aut nominibus propriis aut rebus mythologicis, quae per Homerum innotuerunt omnibusque poëtis aetate posterioribus paulatim communia et constantia sunt facta, praesertim quae Th. proverbialiter tetigerit vel quibus usus sit sensu omnibus temporibus hominibusque communi, imitatio vel tale quidquam ullo modo intellegi nequit. Velut quod Th. item atque Homerus voci *γάλα* dat epitheton *λευκόν* et *ὕπνον* nominat *γλυκύν* (*μέλαν αἷμα, ἀκάματον πῦρ* al.) aut quod Anchises, Melanthius, Agamemnon, Polyphemus, aliae personae ex Homeri carminibus cognitae et celebratae facete vel iocose memorantur a Theocrito, ineptum est dicere: his rebus illum esse imitatorem Homeri. Respicit profecto Th. res per hunc notissimas et ab eiusdem aetate opera multorum poëtarum pervulgatas sumitque ex magna verborum nominumque copia Homerica, non imitatur de industria. Quodsi eas res, quantum attinet ad ea idyllia, a quibus compositis poëta vel summam habet laudem, dico bucolica et mimica (addamus lyrica), omittimus, pauca exempla sunt reliqua, quibus Theocritum vere imitatum videmus exemplum Homeri, sed ne ea quidem ampliora, quae nunc intueamur:

1. id. I, 44: *καὶ πολιῷ περ ἐόντι*
   cf. c. Od. XXIV, 499: *καὶ πολιοί περ ἐόντες.*
2. id. II, 13:
   ἐρχομέναν νεκύων ἀνά τ' ἠρία καὶ μέλαν αἷμα
   cf. c. Il. X, 298:
   ἄμ φόνον, ἄμ νέκυας, διά τ' ἔντεα καὶ μέλαν αἷμα.
3. id. II, 82:
   χὠς ἴδον, ὡς ἐμάνην, ὥς μοι πέρι θυμὸς ἰάφθη

cf. c. Il. XIV, 294:
ὡς δ' ἴδεν, ὥς μιν ἔρως πυκινὰς φρένας ἀμφεκάλυψεν.

4. id. II, 89:
ἔρρευν δ' ἐκ κεφαλᾶς πᾶσαι τρίχες,
cf. c. Od. X, 393:
τῶν δ' ἐκ μὲν μελέων τρίχες ἔρρεον.

5. id. II, 112:
καὶ μ' ἐσιδὼν ὥστοργος, ἐπὶ χθονὸς ὄμματα πήξας
cf. c. Il. III, 217:
ὑπαὶ δέ ἴδεσκε κατὰ χθονὸς ὄμματα πήξας,

6. id. III, 24:
ὤμοι ἐγώ, τί πάθω;
cf. c. Il. XI, 404 et Od. V, 465:
ὤμοι ἐγώ, τί πάθω;

7. id. VI, 20:
τῷ δ' ἐπὶ Δαμοίτας ἀνεβάλλετο καὶ τάδ' ἄειδεν
cf. c. Od. I, 155 (VIII, 266):
ἤτοι ὁ φορμίζων ἀνεβάλλετο καλὸν ἀείδειν,

8. id. VII, 13/14:
οὐδέ κέ τίς νιν ἠγνοίησεν ἰδών ἐπεί . . . .
cf. c. Il. I, 537/38:
οὐδέ μιν Ἥρη ἠγνοίησεν ἰδοῦσ' ὅτι . . . .

9. id. VII, 29:
τὸ δὴ μάλα θυμὸν ἰαίνει ἁμέτερον
cf. c. Od. XV, 379:
οἷά τε θυμὸν ἀεὶ δμώεσσιν ἰαίνει.

10. id. VII, 65:
οἶνον ἀπὸ κρατῆρος ἀφυξῶ
cf. c. Il. I, 598:
νέκταρ ἀπὸ κρατῆρος ἀφύσσων,

11. id. VII, 76:
εὖτε χιὼν ὥς τις κατετάκετο μακρὸν ὑφ' Αἶμον
cf. c. Od. XIX, 205:
ὡς δὲ χιὼν κατατήκετ' ἐν ἀκροπόλοισιν ὄρεσσιν.

12. id. VII, 129:
ξεινήιον ὤπασεν εἶμεν
cf. c. Il. XI, 20:
δῶκε ξεινήιον εἶναι.

13. id. XII, 11:
ἐπεσσομένοις δὲ γενοίμεθα πᾶσιν ἀοιδά
cf. c. Od. VIII, 580 (Il. VI, 358):
ἵνα ᾖσι καὶ ἐσσομένοισι ἀοιδή.

14. id. XV, 79:
λεπτὰ καὶ ὡς χαρίεντα· θεῶν περονάματα φρασεῖς
cf. c. Od. X, 222:
οἷα θεάων | λεπτά τε καὶ χαρίεντα καὶ ἀγλαὰ ἔργα πέλονται.

15. id. XXIX, 10:
ἀλλ' εἴ μοί τι πίθοιο
cf. c. Il. VII, 28:
ἀλλ' εἴ μοί τι πίθοιο.

His quindecim exemplis quae colliguntur ex sedecim fere carminibus (I—VII, X—XII, XIV, XV, XVIII, XXVIII—XXX, seiunximus autem consulto idd. VIII et IX et epica carmina) vel ex versuum numero plus mille et trecentorum, ut inter centenos versus reperiatur unum fere imitationis exemplum (1,1 %), et si praeterea deliberamus eos locos a poëta memoriter assumptos videri, sententia supra prolata minime infirmatur.

Theocritus vero, quamvis excoluerit ingenium ad carmina Homeri et eius artis fuerit peritus, ut optimus quisque poëtarum ab optimo aetate sibi antecedente maxime discere solet, in iis quae diximus idylliis adeo non imitatur consuetudinem Homericam, ut contra oratione utatur ipsius propria[1]), aut, si vere imitatur aliquem, eius fortasse quo eluxit generis exempla sibi proposuit exprimenda, id quod cum fide opinamur de mimicis saltem carminibus II et XV. Quare Quintilianus quidem (X, 1, 55) iure potuit dicere: ‚Admirabilis in suo genere Theocritus' itemque Longinus qui fertur auctor libri π. ὕψους me-

[1]) Verissime iudicat de hac re Croiset. l. l. V. p. 201 sq.: «La versification et le style, chez Théocrite, n'ont pas moins de nouveauté que son inspiration: en tout, c'est un rare artiste».

rito eum laudat *ἐπιτυχέστατον ἐν τοῖς βουκολικοῖς,* quibus testimoniis luculentissime declaratum est: Theocritum in bucolicis modo Theocritum principemque artis esse[1]. Egregie denique poëta et ipse professus est, quantopere sua Musa studium inutile imitandi Homeri detrectaret, cum dicit id. VII, 45 sqq.

ὥς μοι καὶ τέκτων μέγ' ἀπέχθεται, ὅστις ἐρευνῇ
ἶσον ὄρευς κορυφᾷ τελέσαι δόμον εὐρυμέδοντος,
καὶ Μοισᾶν ὄρνιχες, ὅσοι ποτὶ Χῖον ἀοιδόν
ἀντία κοκκύζοντες ἐτώσια μοχθίζοντι,

quibus verbis ille, videlicet, praecipue ad genus poëticum spectari vult; neque vero credibile est Theocritum eadem scripturum fuisse illudentem suam ipsius Musam, si in condendis bucolicis idylliis sibi conscius fuisset vel ipsis locutionibus se *Χῖον ἀοιδόν* aemulatum esse. (Callimacheae etiam imitationis crimine eundem absolvendum esse Rannow. stud. Theocr. diss. Berol. 1886, p. 21 sqq. probe et prudenter exposuit).

---

[1]) Fortasse etiam epigrammatis verba: *Μοῦσαν δ' ὀθνείην οὔτιν' ἐφειλκυσάμην* in hanc mentem accipienda sunt. Contra cf. Legrand. l. l. p. 13.

VU
ET ADMIS A SOUTENANCE
LE 10 JUIN 1901
PAR LE DOYEN DE LA FACULTÉ DES LETTRES
DE L'UNIVERSITÉ DE PARIS.
A. CROISET.

VU
ET PERMIS D'IMPRIMER
LE VICE-RECTEUR
DE L'ACADÉMIE DE PARIS.
GRÉARD.

Errata.

Pag.	18¹	lin.	3	lege:	*orationis*
„	19	„	20	„	*lingua*
„	22	„	13	„	*Qua*
„	29¹	„	1	„	*Pullulant*
„	35	„	3	„	*efficiuntur*
„	45	„	3	„	*Videtur*
„	46	„	15	„	*describerentur*
„	47	„	2	„	*βῶς*
„	57	„	16	„	*ἀ'μοιβαίων.*

Ex officina: Ehrhardt Karras, Halle a. S. s.

Ex officina Ehrhardt Karras. Halis a. S.

